verò ex jaculis ſignificat, ſe ſcelerum vindicem futurum. *Oſorius lib.4. rerum Em.*

QUANTO TEMPORE.

Argis licèt unus rex foret, tamen annis ſingulis admovebatur. *Alex. lib.4. cap.33.*

Ut Romæ Conſules, ſic Carthagine quotannis annui bini Reges creabantur. *Probus in Annibale.*

Ferunt, olim Saxoniæ provinciam adminiſtrari ſolitam per duodecim proceres alternis vicibus: quem verò grande bellum in adminiſtratione occupaſſet, cum regem habebant ad finem uſque belli. Inde factum eſt, ut veniente Carolo Magno in provinciam, cùm Vedekindus dux Angilariæ (Angariam vocant) in adminiſtratione eſſet, pro rege illis fuerit durante bello, ac proinde in nonnullis codicibus rex Saxonum nominetur. Finito autem bello redire cogebatur in ordinem, reddita adminiſtratione comparibus ſuis. Sed id Vedekino non fuit permiſſum, alternata & in ſpeciem aliam traducta totius provinciæ gubernatione. Quamvis autem pontificibus fuerit à Carolo permiſſa poteſtas gubernandi, non tamen amiſere primores penitus ſuam adminiſtrationem, eoque factum eſt, ut ſæcularis poteſtas ab omnibus, bello finito, citra Viſurgum illi delata fuerit. *Crantz. lib.2 Sax. cap.22.*

CALIPHÆ MAHUMETANORUM.

Mahumetis ſtudioſi, æmulique jam inde ab initio maximam, nobiliſſimamque orbis terrarum partem occuparant, hoſtes noſtri diri, ferique. Unum initio habuerant ſummum virum, qui omnibus imperaret, ad quem ſumma rerum, conſiliorumque rediret. Deinde, ut erat neceſſe in tam longè, latèque fuſis opibus, ſeditio eſt orta, duæque ſedes, ac duos Imperatores facti. Alter Baldacenſis Calipha (Calipha latina interpretatione ſucceſſor eſt, quòd in locum Mahumetis, opeſque alii aliis deinceps ſuccedant) alter Ægyptius vocitabatur, Hali quodam propinqua cògnatione Mahumetem contingente, auctore ſeceſſionis à Chaldaicis, qui iiſdem atque Baldacenſes erant. Ille jura Orienti dabat, hic non multis initio gentibus imperitabat. Paulatim hæc Regia univerſam Africam, ac maximam Hiſpaniæ partem in poteſtatem redegit. Ex rebus ſecundis, imperioque, ſuperbia, negligentiaque, atque inde ſocordia, ſegnitieſque orta. Tandem Caliphæ luxu dedi cœpti, hos inſtituerunt, qui Sultani ab Ægyptiis vocitantur: Romana enarratione procuratores ſummæ rerum dici poſſunt. *Æmilius lib.4.* Paruit aliquamdiù Ægyptus poſt lapſum Rom. imperii Græciæ Imperatoribus. Circa verò annum ſalutis ſeptingenteſimū quartum, Ægyptii Græcorum vel ſuperbiam, vel avaritiam pertæſi, ad Saracenos deficiunt, principem ſibi creant ex ea gente, & à Mahometo propugnatum Caliphum, id enim fuit illi nomen. Quæ poſteà appellatio in poſteros propagata eſt, quicunque in ea terra regnum tenuere, per annos tercentum circiter, & quadraginta. Poſtremò bello ab Almerico Hieroſolymorum rege ipſi genti illato (anno ſalutis 1153.) cum is cepiſſet plura ex hoſte loca, Caliphus ſuis omnibus diffiſus, à Syriæ rege, quem Sultanum plures dicere maluerunt, auxilium implorat. Mittitur à rege in Ægyptum Saracon vir fortis cum exercitu ad res Caliphi tuendas. Horum armis Chriſtiani ex Ægypto abſcedere coacti retro abierunt. Tum Saracon tanquam ſibi non Ægyptio viciſſet, Caliphum in poteſtatem redactum in vincula coniicit, regnum occupat, ſe Sultanum vocat. Sic Saracon Medus natione, primuſque ejus gentis regno in Ægypto eſt potitus. Saraconi Saladinus filius ſucceſſit, omnium, qui in ea terra poſteà regnarunt, fortiſſimus. Is Hieroſolymitanum regnum evertit. A Saladino ejus fratres per manus regnum acceperunt. Sunt inde horum filii imperio potiti, ac longa ſerie alii non pauci numero, uſque ad Meſchalam, quo Ægypti regnum tenente, Tartari Comanos Cappadoces bello ſubegere. Comani à Melechſala empti, & armis exercitati: cęſo rege regnum obtinuere, quod Mamaluchorum dixere, à Selimo Turcorum Imp. everſum. *Sab. lib.5. Enn.9.*

EPHORI SPARTANORUM.

De Ephoris vide Alex. lib.*6.* cap. 24.

Lycurgus Lacædæmoniorum legislator, cùm intelligeret, obedientiam maximum eſſe bonum, cùm in Republ. tum etiam militiæ, & foris, Ephororum poteſtatem conſtituit: quibus eam dedit poteſtatem, ut quemcunque velint, etiam regem pœnis afficiant, extemplò transfigant, in magiſtratu conſtitutos intra tempus abrogent, in carceres coniiciant, & in vitæ periculum adducant. *Xenophon in Republ. Laconum. Stobæus ſerm. 42. de legibus.*

Apud Spartanos octo, & viginti Seniores duobus Regibus aſſidebant, ne nimiùm, vel democratia, vel regia poteſtas increſceret, providentes. Addita deinceps poſt multos annos Ephororum poteſtas huic paucorum adminiſtrationi: eſtque quaſi frenum Concilio illi interjectum. Accidit id centeſimo à Lycurgi interitu anno, cùm Theopompus regnaret. Cui poſt primum Ephorum creatum, cùm ei ab uxore exprobraretur, fore ut filiis humilius eſſet regnum relicturus, quàm à patre ipſe accepiſſet: Immò majus, inquit, atque eò melius, quò diuturnius. *Sab. lib.1. En.2.* Bellum cum Meſſeniis gerebatur diutinum. Diſtricti igitur expeditionibus reges, delegerunt ad judicia reddenda certos amicos, eoſque reliquere civibus vicarios, qui dicti Ephori fuerunt. Longo ævo hi primùm regum adminiſtri fuere, deinde ſenſim ſummam ſibi uſurparunt poteſtatem, atque ita clam peculiarem ſuum magiſtrum reddiderunt. Indicio eſt mos; qui obſervatur, ut accerſentibus regem Ephoris ſemel, atque iterum contradicat, tertiò vocantibus ſurgat, & pergat ad eos. Qui hunc magiſtrum princeps illuſtravit, & ampliavit, Aſteropus multis poſt ætatibus Ephorus fuit. Hæc Cleomenes Leonidæ F. qui tyrannidem Ephororum ſuſtulit, facti ſui cauſam populo reddens, narrat *apud Plut. in Cleom.*

Ineunte magiſtratu omnibus civibus Ephori edicebant *κείρεσθαι τ͂ μύστακα*, id eſt, radere muſtacem, quemadmodum *Ariſt.* ſcribit *in Politicis*, non aliam ob cauſam, quàm ut cives intelligerent eorum juſſis obediendum eſſe. *Plut.*

DICTATORES ROMANORUM

QUI. EORUMQUE INSTITUTIO.

Dictatura magiſtratus erat regius, à quo non erat provocatio, cui conſules, cæterique magiſtratus dicto audientes erant. Sex menſibus lege finiebatur, & in ſolis periculis reip. creabatur à conſule, in terra Italia, ſilentio noctis. Populi magiſter nominabatur, ſibique Magiſtrum equitum adſciſcebat. Anno Urbis con. 252. hic magiſtratus in urbem eſt introductus, ſed poſt Cæſaris mortem lege M. Antonii Conſulis, propter invidiam Cæſaris perpetui Dictatoris, in perpetuum ſublatus.

Latini à Rom. ſocietate defecerant, impellente Octavio Manilio Tarquinii genero octavo, vel XII. anno poſt expulſos reges. Quia autem plebs alieno ære degravata militiam detrectabat, ingens cura patrum animos inceſſit, qua ratione militaris ætas in officio contineri poſſet, diſceptatumque ſententiis inter M. Val. & Appium Claudium in ſenatu de alieno ære remittendo. Eò tandem decurſum, ut ad plebis terrorem, quando à Conſulibus ad populum provocatio fieret, magiſtratus aliquis crearetur, ab ejus imperio nulla eſſèt Provocatio. Ac tum primùm T. Largius Dictator creatus, nomenque id ei inditum à dictandi, quæ vellet poteſtate ex ſua ſententia, non ex Senatuſconſulto, vel plebiſcito (vocant autem Romani decreta magiſtratuum Edicta) ut Plutarchus in vita Marcelli, ſive à dicendo potiùs, quia non populi ſuffragio, non Senatus conſulto, creari contigiſſet, ſed ab illo eſſet dictus, qui tum ſummum in urbem imperium haberet. Neque enim poteſtas, alioqui formidoloſa, parumque tyrannide diſtans, invidioſo fuit nomine oneranda. Non poterat niſi à Conſule dici, neque alio tempore, niſi oriente nocte, & ſilentio. *Livius lib.8.* tradit. Attamen, teſte eodem, libro quarto, cùm aliquando Vejentes caſtra Romana cepiſſent, A. Cornelius Coſſus Tribunus militum Mamercum Æmylium Dictatorem dixit, quòd augures conſulti, urgente neceſſitate, eam religionem exemiſſent. *Polyd. lib.2. cap.3. de Invent. rer.* Hunc creandi Dictatoris morem videri poſſunt Roman. à Græcis accepiſſe, ut *Dion Halicarnaſſeus lib. quinto*, putat, quibus, ut *Theophraſtus* tradidit in libris, quos de regno ſcripſit, in certum tempus ſibi tyrannos, quos Æſymnetas Mitylenæi, Harmoſten Lacedæmonii, Theſſali Archum dixerunt, legere moris fuit: & Mitylenæi Pittacum adversùs exules ſimili poteſtate creaſſe traduntur. Macer Licinius ab Albanis & morem ipſum, & nomen ad Rom. fluxiſſe arbitratus eſt, quippe qui regia ſtirpe poſt Numitorem ſublata, ſibi annuum magiſtratum crearunt eximia poteſtate, quem Dictatorem dixere. Carthaginenſes etiam dictatorem habebant, teſte Trogo. Dictator igitur Sp. Caſſium magiſtrum equitum dixit. Sumptis deinde facibus, ut in medium proceſſit, unica, novaque magiſtratus ſpecies terribilis civitati viſa eſt, propoſitoque edicto, ut omnes ſua, liberorumque, ac conjugum nomina confeſtim darent, quinquaginta millia civium capita, ac ſeptingenta promiſcuè, omnis ſexus, & ætatis, in cenſum retulit. Victis Latinis, & reductis copiis, magiſtratu ſe abdicavit. Quæ verecundia poteſtatis ultrò deponendæ, quadringentis fermè annis, utique ad L. Syllæ tempora, in poſteris ſervata eſt. Ille primus perpetuam induit dictaturam, nullo finiendi honoris præſtituto tempore, ſed ipſe quoque, etſi ſerò, depoſuit tamen. C. Cæſar, dictaturam ſemel receptam, non niſi cum morte depoſuit. Quo accidit, ut ſalutaris magiſtratus, & in extremis reip. remediis quæſitus, infamis, & execrabilis ſit factus. *Ex Plut. Marcello Sab. l.8. En.2.* Dictator geminum habet magiſtratum, qui apud Romanos etiam Biconſul dicitur. *Suidas.*

Dictatorem, à quo provocare non licebat, quemque ſummum Romæ imperium tenuiſſe certum eſt, non modò laborante republica, & trepidis in rebus, cùm aut de communi libertate ageretur, metuſque de ſumma rerum eſſet, quod ultimum erat conſilium: ſed ex variis eventis, diverſiſque rerum cauſis creari ſolitum accepimus. Nam & clavi figendi, & ſenatus legendi, aut magiſtratus coercendi cauſa, nonnunquam quæſtionibus exercendis, plerumque comitiis habendis, ſicut res, tempuſque poſtulabant, etiam florente republica, & procul à belli tumultu, creatum fuiſſe liquet. C. Gentivo, & L. Æmilio Mamerto conſulibus, & ſæpè aliàs, cùm gravi morbo civitas affecta eſſet, Senatus L. MANLIUM Imperioſum, dictatorem clavi figendi cauſa dici juſſit: qui dictator dictus, clavum panxit, iſque clavus dextro lateri ædis Jovis optimi maximi in Capitolio fixus fuit. Poſt quem cùm Romæ de veneficiis quærerent, & aliquot matronæ damnatæ forent, eaque res prodigii haberetur loco: ut mentes alienatæ, ſui compotes fierent, ſimili memoria ex annalibus repetita, clavi figendi cauſa dictator creatus CN. QUINTILIUS fuit, qui fixo item clavo, cùm eo piaculo civium mentes ſui compotes feciſſet, diſcordeſque animos conciliaſſet, dictatura ſe abdicavit. Eos autem clavos fuiſſe æneos, notaſque numeri annorum, quibus tunc tempora deſignabant, habuiſſe, idque à Vulſiniis emanaſſe ferunt, quibus in uſu erat, clavos indices numeri annorum, habere fixos in templo Nurciæ Hetruſcæ deæ. Comitiorum verò cauſa, ſi quando neuter conſulum bello abeſſe poterat, vel morbo, aut alia neceſſitate comitiis præeſſe nequirent, Senatum abſentibus conſulibus dictatorem, qui comitiis præeſſet, dicere cenſuiſſe, ſæpè compertum eſt. Dicebat enim conſul dictatorem comitiorum cauſa in caſtris, vel ubiubi terrarum erat, cùm ipſe à bello avocare commodo reipublicæ non poſſet, Sp. Melio Imperium populi Romani affectante, cùm nullius imperio magiſtratus cogi poſſet, Senatus ut nefarios ipſius conatus reprimeret, utque clandeſtinas inſidias à capite, & cervicibus dimoveret, dictatorem creari exacta ætate Q. Cincinnatum voluit: qui re explorata, ſumpto de reo ſupplicio, dictatura ſe abdicavit. Et cùm occultas principum conjurationes, conciliaque clandeſtina, Capuæ fieri percrebuiſſet, Senatum quæſtiones, veri inquirendi cauſa, decreviſſe, dictatoremque quæſtionibus exercendis dici cenſuiſſe, multi adnotarunt. Nec me præterit, legendi quoque Senatus, cum patres in demortuorum loco ſuffici, ordinemque Senatorium ſuppleri opus foret, ut eſſet, qui novos legeret Senatores, quique Senatum ſufficeret, plerumque dictatorem fuiſſe. Quo tempore illud evenit, ut duo ſimul dictatores, quod nunquam anteà factum, creati, M. ſcilicet Junius, qui caſtris dictator tunc præerat, & M. Fabius Buteo, qui ordinem Senatorum, eò quòd multi bello ceciderant, ſufficeret, legeretque. Quanquam & feriarum cauſa, cùm tetra prodigia nunciarentur, propterèaque feriæ indicendæ forent, ut eſſet, qui ferias indiceret, quique ludis Romanis, aut quadrigis mittendis præeſſet. Nonnunquam ut illorum contumaciam cohiberet, qui functis honoribus, magiſtratu abire vel Senatus dicto parere nollent. Interdum, qui flaminem proderet, dictatorem fuiſſè legimus. Qui quidem magiſtratus non Romæ tantùm, ſed & Albæ, & Lavinii, & in toto ferè Latio ſummus erat: Id quoque non prætereundum, quòd ſive belli gerendi, ſive cujuſvis muneris exequendi cauſa, dictator dictus foret, niſi virum conſularem, quique conſulatum anteà geſſiſſet, & nocte ſilente, atque in agro Romano (is autem Italia terminabatur) dici licuiſſet, ac ultra ſex menſes, ante Syllam, dictaturæ munus quempiam exercuiſſe, præter Furium Camillum, cui jam exacto ſemeſtri, cùm conſternata republica laborarent ancipiti metu, ne tumultus urbani fierent, neve urbe relicta Romani Vejos migrarent, Senatus in annum dictaturam invito prorogavit. Atque hic Camillus fuit, qui vindex majeſtatis Romanæ, dictatura quinquies, triumpho quater potitus eſt, conſulatum verò nunquam attigit: tametſi lege veteri de dictatore creando primùm lata, id ſancitum fuerit, ut niſi conſulares viri, quique conſulatum anteà geſſiſſent, nulli dictatores haberentur, aut fierent. *Alexan. l.1. cap.6.*

Florentini Ludovici XII. Gallorum Regis auxilio ab Alexandri VI. Pontificis jugo imminente liberati, quando ob crebram magiſtratuum mutationem in eam difficultatem ſe conjectos videbant, decrevere; ut juſtitiæ Vexillifer Reipub. princeps, quique cum Senatu in duos tantùm menſes creabatur, in poſterum toto vitæ ſuæ tempore eum magiſtratum gereret, perpetuis cogitationibus reipublicæ invigilaret, & publicum bonum procuraret, ne reſp. neglecta deinceps in tot pericula rueret. Qua lege lata in majoribus comitiis, Petrus Soderinus, vir ætate matura, ſatis amplis opibus, nobili genere integritatis, continentiæ fama celebris, quique in publicis rebus plurimum laboris inſumpſerat, & quod ad ambitionis occaſionem vitandam magni erat momenti, liberis carens, magno civium concurſu, atque conſenſu Vexillifer creatus eſt. Anno ſalut. 1502. Quo tamen poſt per ſeditionem ejecto, imperitæ multitudinis furore ſub Mediceorum jugum Reſpub. recidit, *Guicciardinus l.5. Jovius l.2. vitæ Leonis X.*

CONSULES, PROCONSULES.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA, AC MUNUS EORUNDEM.

A conſulendo dictos eſſe Conſules, conſtat: Sed cùm conſulere ſignificet multa, dubium eſt, à qua mente ſit dictus conſul. *Quintilianus l.1.* Sitne conſul à conſulendo, ac à judicando: nam & hoc conſulere veteres vocavere: unde adhuc remanet illud, Rogat, boni conſulas, id eſt, bonum judices. Quin & Livius conſulem olim judicem eſſe dictum tradit. Sed ego cum Varrone nomen miniſterii puto eſſe Conſul: ut admoneretur, nihil eum habere in repub. virium, poteſtatiſque, ſed admonitorem ſolùm poſitum Senatus, & pop. ut eos, quid fieri placeret, conſuleret. Nihil enim in Senatu antiquitùs fieri ſolebat, niſi conſulente, & referente conſule. Unde illa tam crebra apud rerum ſcriptores: Petiit à Coſ. ut de hoc, aut illo referret. *Lud. Vives in l.5. de Civit. Dei c.12.*

Erant Romæ bini conſules poteſtate pari, ſicut apud Iberos bini deliguntur reges: alter, qui jura daret, alter, qui populis præeſſet: & Carthaginenſibus duo annui Reges præfuere, Sufferes dicti. Hi etſi pari honore eſſent, non tamen ſimul inſignia conſulatus, aut imperium habebant. Nam poſtquam Junius Brutus, ejecto Tarquinio, & Regibus exterminatis, cum Collatino conſul creatus eſt, licèt omnia jura, & inſignia, quæ apud reges erant, populus conſulibus conceſſa voluerit: tamen ne duplicatus terror videretur, ſi apud utrumque conſulem faſces videret, cautum fuit, ut apud alterum, eum videlicet, qui imperium haberet, faſces eſſent. Ideò alternis menſibus, modò ad unum, modò ad alterum conſulem faces tranſire voluere. Idemque ſequutis temporibus, dum imperium, & reſpublica ſtetit, ſervatum eſt. Sed tamen quo menſe faſces non habebat, accenſus apparebat conſuli, lictores verò ſequebantur: quod intermiſſum diù, poſteà Cæſar revocavit denuò. Et quamvis conſuli antiquiori faſces darentur priùs, veluti canitiem, & annos venerantes: poſteà lege Julia cautum fuit, ut ei, qui plures liberos quàm collega haberet: aut ſi numero pares eſſent, qui maritus foret, præferretur: aut ſi omnia eſſent paria, antiquior faſces acciperet: eos tamen, qui ſecundum gererent conſulatum, alteri novum ineunti, præferri haud dubium eſt. Erant ergo conſulatus inſignia duodecim faſces, lictores totidem, purpurea prætexta, curuliſque ſella. Erat conſulis officium, domi foriſque, ac belli paciſque temporibus toti reipub. conſulere, inque cuſtodienda regendaque republica totis incumbere viribus, omni denique ſtudio, conſilio, fide, gravitate, & robore animi, pro commodis reipub. pugnare. Legatis undecumque in curiam admiſſis, ſolus, ex auctoritate ſenatus reſponſa dabat, legemque ad populum ferebat. Is tamen cùm de capite civis agebatur, pœnam, capitalemve noxam inferendi jus non habebat, lege edita, qua cavebatur, ut à conſulibus (ne per omnia Regiam poteſtatem ſibi vindicarent) impunè provocatio eſſet, neve in caput civis Romani, niſi populi juſſu, animadvertere poſſent. Tunc enim qui noxæ capitis reus, ſceleris coarguitur, ad populum produci debebat, & dicta cauſa, ex populi judicio de capite civis cognitio dabatur. Nam ſoli dictatori, & populo, jus

de nece civium datum eſt. Tametſi legamus Opimium conſu-
A lem, contra inſtituta majorum, primùm dictatoriam ſibi vim uſurpaſſe, Cajumque Gracchum, & Fulvium Flaccum, alioſque cives, abſque populi judicio necaſſe. Si tamen conſuli Senatus permitteret (quòd in ſummis reipublicæ caſibus, & magna mole periculorum fiebat) ut caveretur, ne quid reſpublica detrimenti caperet, tunc de nece civium decernendi, illoſque omnibus modis coercendi, belli gerendi, domi foriſque ſummum imperium habendi, jus dari cenſebatur. Ipſi tamen conſuli Romanum civem, etiam Senatorem, in carcerem duci jubere, & mulctam irrogare, facultas erat. Quòd ſi quis parum juſto judicio mulctam irrogatam, aut indigno injuriam factam querebatur, alterius conſulis opem implorare, ad eumque provocare licebat: ipſique collegæ intercedendi, inhibendique ne quid ſecus fieret, jus erat, atque poteſtas. Poſt binos conſules, quos ab initio exactis regibus continua ſerie creatos novimus ſemel, apud unum imperium conſulare ſtetit, tunc cùm urgente diſſidio Pompeii, & Cæſaris, Senatus ne quid reſpublica detrimenti caperet, unicum conſulem Cn. Pompejum dicere coactus fuit. Iterùm Syllæ temporibus, Cinna interempto, ſolus Carbo geſſit conſulatum. *Alexan. lib. 3, cap. 3.*

B Anno urbis 709. cùm C. Julius Cæſar conſul V. Dictator IV. & M. Antonius Coſ. & Magiſter equitum eſſet, Idibus Martiis 23. vulneribus in Pompeii curia interfectus Cæſar, & anno ſequenti A. Hircius, C. Vibius Panſa Coſſ. fuerunt. Triumviri poſteà Remp. invaſerunt, M. Antonius, M. Æmilius Lepidus, & C. Cæſar Octavianus, qui cum Q. Pedio Cæſaris hærede ex quadrante, Conſulem ſe conſtituit. Poſteaquam verò Octavianus imperium occupavit, & hoſtes vicit, atque adeò monarchiam ex democratia conſtituit: conſulum quidem nomen manſit, ita ut Cæſares quoque conſulatum inirent, & collegas honorarios ſibi annuatim aſciſcerent; verùm poteſtas omnis penes Cæſares erat.

Anno urbis 387. plebs Romæ evicit, ut conſulatus populo quoque communicaretur, quod ipſum multò ante obtinere fruſtrà concupiverat: Creati igitur conſules ex patribus L. Æmilius Mamertinus, & ex plebe L. Sextius Lateranenſis. Patricii tamen pro conceſſo plebi altero conſulatu, duos ſibi quæſivere honores, Præturam, & Ædilitatem curulem.

Ubi finito magiſtratu annuo, non expediret conſulem provincia decedere: illi, ne ſine honore eſſet, imperium ſæpè
C prorogabatur, ut eam provinciam Proconſul, ut non conſul adminiſtraret. Sæpè ad ſex menſes, modò ad annum, aut donec debellati hoſtes, vel revocati à Senatu forent, prout ex republica eſſe videbatur. P. enim Philo conſul narratur primus, cui prorogatum imperium fuiſſet, & ex eo proconſulare officium cœpit pro munere dari. Scipioni deinde Aphricano in Aphricam profecto, ne finito conſulatu incommodo reipublicæ provincia decederet, imperium conſulare, donec debellatum eſſet, prorogatum fuit. Nonnunquam ſtantibus conſulibus, ſi qui in provincia tumultus, aut motus orirentur, pluresque provinciæ oporteret præeſſe: novos proconſules Senatus nunc iiſdem, nunc aliis decretis provinciis creavit, ipſiſque plerumque legiones, & exercitus commiſit, & mandavit, poteratque non modò conſuli, ſed prætori proconſulare munus dari: ſicut exemplis pluribus extat. Sempronio enim Graccho, & Q. Fabio Maximo conſulibus, cùm Hannibal Italiam omni clade belli pervaſtaſſet, C. Marcellus ex prætore proconſul deſignatus, vires Hannibalis multis præliis ita fregit, & comminuit, ut facilè vinci poſſe documentum daret. Habebatque proconſul proconſulatus inſignia eadem quæ, & conſulatus: licto-
D res, faſces, ſecures, prætextam, curulemque ſellam: niſi eam adiret provinciam, in qua conſul præſens foret: tunc enim ſine imperio, aut inſignis erat: proconſuli enim portam Romæ ingreſſo, minuebatur honor, privatuſque, & ſine imperio cenſebatur. Hoc tamen intererat, quòd proconſules, aut præparatores auſpicia non habebant, quippè inauſpicati erant: cùm conſules, prætoreſque auſpicia haberent maxima. Tandem poſt Hadrianum Imperatorem & ordo & honor proconſularis deſiere. Siquidem M. Antoninus Imperat. provincias ex proconſularibus conſulares, aut prætorias, pro belli neceſſitate fecit, ipſe pacatas imperii provincias, ab hoſtili tumultu otioſas, populo Romano regendas dedit, ſibique tumultuantes, & operoſas, aut hoſtium incurſionibus inquietas deſumpſit: ad quas modò proconſules, præſides, aut præfectos cum imperio: modò præſidia, & exercitus, nonnunquam legiones, & auxilia deſtinavit. Tiberius quoque Achajam, & Macedoniam onera deprecantes, proconſulari imperio exemit, ſibique illas regendas aſcivit. *Alex. lib. 2.* E
cap. 27.

An 928. Hugone Rege, qui Marociæ Marchioniſſ. Rom. connubio Roma potitus erat, ob colaphum Alberico Marociæ ex Alberto Marchione F. inflictum urbe ejecto, Albericus conſulari poteſtate civitatem adminiſtravit. Proinde Romanos, Regibus, pontificibuſque contemptis, novum ſtatum civitatis invexiſſe, argumento eſt, quod Ducis, aut Magiſtri militum magiſtratus (à quibus, Exarchis, & Pontificibus civitatem tenentibus, urbs Romana diu eſt gubernata) per ea tempora celebrari deſiit, ac pro eis Præfectus urbis, Conſules, & Tribuni plebis inducti ſunt, qui Decarchorum nomen tulerunt, *Sigon. l. 6. regni Ital.*

TRIBUNI PLEBIS, TRIBUNI MILITARES.

Definitio, & Etymologia, Eorumque institutio.

De Tribunis vide *Alex. ab Alexand. l. 5. c. 2.* ut de Tribu- F
nis militum. *l. 6. c. 18.*

Tribunos plebis, quos plebe à patribus diſcedente, & ad Sacrum montem ſecedente, ſacroſanctos ſibi plebs creavit, an. V. C. 260. ſecundùm Contium, Poſthumo Comincio Aurunco II. & Sp. Craſſio Viſcellino II. Coſs. anno poſt Reges exactos XVI. nec juri dicundo, nec poſtulatis civium noſcendis, ſicut alios magiſtratus, ſed ut auxilii latio adverſùs conſules eſſet, & illos qui inſolenter in plebem inſultarent, utque præſides libertatis cuſtodeſque forent, creatos accepimus. Ideò nec in ſella curuli ſedere, nec purpuratos incedere, nec lictorem ut conſules, prætoreſque, ſed viatorem habere illos ſatis conſtat. Cauſa autem hæc eſt, quòd tribunus plebis, populi Romani magiſtratus non eſt: propterea cum conſulum, prætorum, & ædilium, relictorumque magiſtratuum, creato dictatore, juriſdictio ceſſet, & conniveat, ſolos tribunos plebis in poteſtate eſſe liquet. Ex reliquis præterea magiſtratibus, cùm multi vocationem, & cognitionem habeant, apud tribunos tantùm prehenſionem eſſe abſque vocatione, memoriæ datum eſt. Prehendere enim tribuno plebis licet, & in carcerem mittere, jure ſacroſanctæ poteſtatis, etiam conſulem, prætorem, cenſoremque M. Druſus tribunus plebis, G
Philippum conſulem, quia concionantem interpellarat, præcipitem egit in carcerem, ita ut non modica vis ſanguinis è naribus efflueret. Etiam ab injuria, quæ coram fieret inhibere, mulctamque indicere conſuli, dictatorique, & reliquis magiſtratibus, tribunus pro imperio poterat. Interceſſiones quoque adversùs reliquorum potentiam magiſtratuum, apud tribunos plebis tantummodo ſunt. Contrà verò dictatoris imperium, à quo non eſt provocatio, tribunis intercedendi facultas non eſt, quamvis plerique contra dictatoris juſſum, tribuni interceſſionem valuiſſe contendant, Q. Fabii exemplo, qui cùm magiſter equitum eſſet, & in eum, quòd contra vetitum pugnaſſet, L. Papyrius dictator animadvertere vellet, M Fabius pater, qui ter conſul, dictatorque fuerat, tribunos plebis, & populum appellavit, qui interceſſione ſua etſi precariam præſtitiſſent opem, reum tamen ſupplicio eximere. Ab unoquoque tribunorum ad reliquos tribunos provocare licere, ipſoſque intercedere poſſe, non eſt controverſia. Neque enim levis eſt unius tribuni in prohibendo poteſtas. Siquidem uno aliquid fieri negante, nihil cæteri, etiamſi plures numero ſint, decernere valent, teſte Plutarcho in Catone minore. Id tamen lege cautum erat, ne ultra mille H
paſſus ab urbe ad tribunos provocatio foret. Ideò ſi quid ſublata interceſſione tibunorum, per populum agi vellent, extra urbem ultra mille paſſus comitiis indictis, & Senatu evocato, decernebant. Tunc enim ſine imperio tribunus cenſebatur. Capitis etiam diem dicere dictatori vel conſulibus, poſtquam abiere magiſtratu, & reliquis magiſtratibus dum in honore ſunt, tribunorum apud Roman. poteſtatis eſt. Illud certè ſatis conſtat, neque tribunum plebis diem integrum ab urbe abeſſe licere, ne auxilii latio, cùm opus fuerit, civibus deſit: ſicut Heduis in more fuit, ut qui ſummum gereret imperium, finibus excedere non poſſet. Neque eum qui parentem ſuperſtitem habeat, tribunum plebis eſſe oportere. Propterea Servilius, qui tribunatum geſſerat, falsò tribunus eſſe creditus eſt: quod patrem, quem obiiſſe mortem opinio invaluerat, vivere conſtabat. Quia & illud animadvertimus, tribunis quoties oportere viſum fuit, habendi, & diſſolvendi ſenatus, nonnunquam, ne

ne conſulari comitia fiant, intercedendi ejus poteſtatemque
A fuiſſe. Ipſis tamen, cùm frequens haberetur ſenatus, intra limites curiæ adeſſe non licebat: ſed poſitis ante curiæ fores ſubſelliis, quæ ad populum pertinerent, ſenatuſconſulta excipere: quæ ſi probarent, T. litera ſubſcribere ſolebant. Si autem minimè rata eſſe vellent, poterat ſenatuſconſultum per interceſſiones tribunitias impediri. Tametſi ævo poſteriore, tribunum frequenti curia, de his, quæ ad populum pertinerent, ſenatum ſæpè conſuluiſſe, ibique ſubſellia habuiſſe, inter exempla inveniamus: donec Atinio plebiſcito Tribuni plebi ſenatores effici meruere. Poſſe etiam plebem conſulere, & rogationes ad populum ferre, ac ſuper his leges promulgare, quæ plebiſcita tradita ſunt, tribunitiæ poteſtatis eſſe nemo dubitavit: quod quidem concilium in æde Vulcani frequentes habuere, ibique ſi qua turbulenta confuſio eſſet, in qua conſulto opus foret, plebejos advocare, & concionem frequentiſſimo concilio habere, aſſueverat. Tribuni plebis domum cuivis patere, foreſque illius per diem, perque noctem recluſas eſſe oportebat: nimirum ut congreſſus faciles ad ſe præberet, & neminem aditu arceret. Nam ſolì tri-
B buno noctu pariter, & die civis opem imploranti præſtò eſſe, & jus auxilii ſui expedire, atque à cujuſque magiſtratus nimia potentia plebem tueri, fas eſt. *Alexand. lib. 1. cap. 3.*

An. Urbis 286. C. Horatio, & Pulvillo II. & Q. Minutio Augurino Coſſ. ſeditione orta, decem tribuni primi creati fuerunt.

Tribuni militum primùm creati tres fuerunt, anno urbis 309. conſulari poteſtate: prioris anni conſulibus exiſtentibus M. Genutio Augurino, & C. Curtio Medullino Fuſo. Creati autem ſunt L. Attilius Longus, T. Cælius Siculus, & A. Sempronius Attratinus. Qui ante finem anni magiſtratum deponentes, locum denuò Coſſ. fecerunt, ut poſt quartum ferè menſem eligerentur Coſſ. L. Papyrius Mugillanus, & L. Sempronius Attratinus. Rurſus anno 315. Trib. militares tres creati. Poſteà enim uſus obtinuit, ut quatuor, quinque, ſex, prout neceſſitates poſtulare videbatur, crearentur.

Cùm Sylla tribunos plebis ſuſtuliſſet, Cn. Pompejus reſtituere eos plebi in animo habebat. Nihil enim pop. Rom. inſaniore cupiditate proſecutus eſt, neque ullum magiſtratum re-
C cuperare, atque eum, deſideravit ardentiùs: ut Pompejus pro magna felicitate reputaret illius actionis occaſionem, quod beneficium reperturum non putaret ſe aliud, hoc ſi alius præripuiſſet ſibi, quò civium repenſaret favorem. Itaque tribunos plebis populo reddidit, permiſitque ut judicia iterùm lege transferrentur ad equites. *Plutarch. in Pompejo.*

Venetiarum ortus anno 621. cùm Attila Hunnorum rex Italiam per Forum Julium irrumperet. Variæ inſulæ vicinæ habitatæ. Jam poſtquam Agilulfus Longobardorum rex Patavium excidit, nobiliſſimi quique eò confugere. A principio bini inſulatim ſunt annui tribuni creati, alii ſingulos ſcribunt, qui ſuis popularibus jus dicerent, capitaliaque exercerent judicia, ac ſi qua de ſumma rei conſultatio incidiſſet, celebris conventus indiceretur omnibus inſulanis. At cùm Tribunorum diſcordia inſulani Longobardorum, & prædonum injuriis impunè expoſiti eſſent, Ducem creare placuit, Chriſtophori Gradenſis Antiſtitis conſilio, cui ſumma rerum domi, foriſque committeretur, & ſic circà annum ſal. 700. primus Dux creatus eſt Paulus Heraclienſis. *Sab. En. lib. 7.*

PRÆTORES.

D Prætor Ægyptiis loco cenſoris, cui portaria exigendi munus impendebat. Achæis bini prætores longo tempore imperitarunt, mox unum accepere. Apud Macedones, Saguntinos, & Syracuſanos domi, foriſque jura dabant: in quo magiſtratu cùm eſſet Dionyſius, gradum ad tyrannidem fecit. Apud Thebanos ſummam imperii tenebant, ſicut fuit Epaminondas: & niſi præſente eo magiſtratus eligi nequibant. Sardium prætor de bellis conſultabat, fœdera inibat. Ætolis cùm de bello, aut quovis negotio ſenatum conſuluiſſet, diſcendæ ſententiæ jus non habebat. Epirotis, & Athenienſibus prætor, Theſmotheta, & belli dux, ſingulis annis fortuito creabantur. Is autem ſi quando bella movenda, & armis decernendum foret, militum delectus habere, legioneſque, & turmas conſcribere ſolebat, quam præturam Nicias cum Pericle aliquando geſſiſſe fertur. Nonnunquam Athenienſes decem prætores militiæ præfecere, qui per vices caſtris, & legionibus imperitarunt. In quo magiſtratu cum eſſet Ariſtides, Milciadi ceſſit, ne in pugna Marathonia adversùs Datim Darii præfectum in diſſidium veniret, cùm multitudine E
prætorum, patriæ diſcrimen impenderet. *Ibidem.*

Ab ortu Urbis, ad annum ferè CCCXC. Prætor, qui jus in urbe diceret, nullus Romæ fuit. Erat enim hoc conſulis munus, & illorum, qui in ſummo erant magiſtratu, ſuper jure controverſo reſpondere. Sed quia à jure dicundo, ingruente bellorum tumultu, perſæpe eos avocari oportebat, prætore ac proprio magiſtratu, qui jus in urbe diceret; opus eſſe viſum fuit. Igitur quo tempore tribuni militum conſulari poteſtate eſſe deſiere, cùm jam de conſulibus ex plebe creandis magnis contentionibus agitari cœptum eſſet, eaque res inviſa patribus, infamiſque haberetur, neque aliter ſedari videretur poſſe: tum primùm leniendæ multitudinis cauſa, ut conſul etiam de plebe fieret, à patribus eſt impetratum, invicemque ipſa plebs, ut prætor unus ex patribus crearetur, qui jus in urbe redderet, haud dubiè aſſenſit. Fuit enim is Spurius Furius Marci filius primùm prætor ex patribus, eique ut aliquibus honoris inſigniis conſpicuus foret, curulem ſellam, ut conſuli, dictatorique, & eadem auſpicia eſſe voluere. Nec diù apud patritios honos iſte manſit. Nam- F
que haud diù poſt, Q. Pub. Philo primus de plebe, averſante ſenatu, prætor factus eſt, communicataque tam prætura, quàm conſulatus cùm plebe fuit. Sed cùm prætores magis ex uſu reipublicæ viderentur, brevi illorum numerus auctus fertur. Quippe latius propagato, & aucto imperio, quo tempore Attilius Calatinus primo Punico bello dictator extra Italiam duxit exercitum, cùm obire tantum munus ſolus non poſſet, duo prætores creati, exque his alter urbanam, alter peregrinam juriſdictionem ſortiti fuere. Et quia plerumque uſu veniebat, ut urgentibus hinc inde hoſtibus, & multiplici bello ingruente, ferro, & armis decernendum foret, prætores ſicut conſules provincias ſortiri, hiſque, & exercitibus cum imperio præeſſe cœpere, ibique non ſolùm jus dicendo, ſed armis imperitando imperium exercuere. Ipſis enim licèt ad jus dicendum creatis, non tamen à belli cura vocatio dabatur. Qui tametſi in imperio eſſent, jura tamen provinciæ ſine decreto ſenatus, aut populi juſſu mutare non poterant. Neque diù poſt, primo Punico exacto bello, cùm Galli Tranſalpini in Italiam irrumperent, quatuor prætores G
creati lege Bebia fuere: quæ jubebat, è ternis ad quaternos creari licere. Manſitque hic numerus ad primum ferè Macedonicum bellum, quibus, & belli ſumma commiſſa fuit, illorumque auſpiciis egregiè res geſtæ plerumque ſunt. Tunc quoque additis provinciis, & magno incremento rebus auctis, cùm M. Cato Sardiniam obtineret, Siciliaque, & Hiſpania imperio accreviſſent, magiſque indies prætores ex uſu forent, illorum numerus auctus fertur, ut ſeni crearentur. Poſt temporum verò curricula, quibus Cornelius Sylla rempublicam in dominationem vertit, cùm patres de parricidiis, de ſicariis, de falſariis leges tuliſſet, ut eſſent qui eas tuerentur, quatuor, qui de criminibus inquirerent, veteri numero adjecere, ita ut decem crearentur. Mox Julius Cæſar numerum ampliavit: nam præter hos annonæ, & rei frumentariæ præfecit duos, ad invehendos commeatus, qui Frumentarii, ſeu Cereales dicti: quibus ut ne quid commeatus, frumentique urbi deeſſet; prævidere, præcavereque negotium erat. Et mox alios, qui ærarii curam agerent, adjecit. Divus deinde Auguſtus ſedecim explevit numerum, tametſi præturæ candidatos duodecim ab Auguſto editos, auctores ſint: quem numerum non exceſſurum Tiberius jurejurando firmavit. Demùm Divus Claudius alios conſtituit, qui deficientium voluntates tuerentur, & de fidei commiſſis jus dicerent, quos fidei commiſſarios vocavit: quo tempore ad decem, & octo prætores, quod nunquam anteà factum, execrevit numerus. Et cùm pupillis tu- H
tores à conſulibus antè poſcerentur, Marcus Antoninus Philoſophus, omni doctrina homo eruditus, cujus pleraque extant egregia facinora militaria, ut diligenti diſquiſitione tutores pupillis darentur, proprio magiſtratui eam curam demandavit, qui tutelaris dictus eſt. Denique nullo præfinito numero tot fuere, quot expedire reipublicæ viſi ſunt. *Alex. lib. 2. cap. 15.*

ÆDILES.

Quo tempore exactis regibus, & conſulibus creatis, plebs contentione maxima cum patribus certavit, & tandem ut alter ex conſulibus plebejus foret, obtinut: patres pro communicato plebi conſulatu, ædilitatem ſimul, & præturam vindicarunt. Igitur curuli ÆDILITATE creata, illam Cn. Quin. Capitolino,

pitolino, & P. Corn. Scipioni ex patribus dederunt: poſteà alternis annis, modò ex plebe, nunc ex patribus ædiles creari cœpti, munuſque promiſcuum fuit: donec curulis ædilitas ad libertini generis homines delata eſt, tunc cùm Cn. Flavius Appii ſcriba, libertino patre natus, cum Q. Anitio Præneſtino, haud multo antè hoſte populi Romani, ædilis curulis jus civile in penetralibus pontificum divulgavit, dieſque faſtos in albo propoſuit, ac ædem Concordiæ cum non mediocri invidia nobilium dedicavit. Demum diffidente plebe à patribus, ut duo eſſent plebis ædiles, ſicut duo patritii anteà fuerant, plebi eſt à patribus conceſſum. Lapſis inde temporibus, cùm Julius Cæſar rerum potiretur, tunc primùm ſex ædiles creati, duo patritii, qui Cereales dicti, qui curam gererent annonæ forenſis, copiæque cibariorum: reliqui ex plebe, quorum præcipuum munus erat, urbis, ædium ſacrarum, privatarumque curam agere, ad eoſque, abſentibus vel impeditis conſulibus, ſumma rerum, & majeſtas conſularis imperii ſæpè delata eſt. Hi præcipuè curabant, ut ædificia publica, privataque fierent, utque templa, theatra, ſtadia, fora, porticus, curiæ, & baſilicæ, atque mœnia magnificis operibus reficerentur, & ornarentur. Ad eos etiam ſenatuſconſulta, & ſcita plebis, ut in æde ſacra conderentur, deferebantur: præparando, convehendoque frumento, & oleo, ne urbs penuria annonæ, neve caritate laboraret: utque commeatus, quæque bello uſui forent, in caſtra deferrentur, ædilium muneris erat. Ideò Manius Martius, & Trebius ædiles plebis, quòd in ſumma caritate frumentum populo in modios aſſibus dedere, commeatuſque invexere, ſtatuas in Capitolio, & Palatio cum titulis honorum meruere. Et M. Servilius T. filius ædilis curulis, quòd olei denas libras ſinguli aſſibus præſtitit, celebri memoria dignus fuit. Etiam in eos, qui plus quàm lege definitum erat, agri poſſiderent, diem dicere, matronas probri accuſare, fœneratores coercere, popinas, & ganeata obſonia inhibere, in facta, dictaque incivilia, atque improba animadvertere, ædilitiæ poteſtatis erat. Circa religionem, ne qui niſi Romani dii patrio more colerentur, neve à vetuſtis cæremoniis decederent, ædilibus præcipua cura fuit. Munera etiam magnificentiſſima, & ludos apparatiſſimos, ad conciliandum populi favorem, per ædiles plebis, aut curules, nunc Romanos, nunc plebejos, nonnunquam ſcenicos, publica, vel privata impenſa, aut ex mulctatitia pecunia, curari, & inſtaurari plerumque adnotavimus: in quibus venationes belluarum, quæque mira ſpectatu, & inſolita ſunt, nonnunquam gladiatorum paria, qui digladiarentur, ſpectaculis exhibuere. Quæ munera cùm magnificentiſſimè per ædiles edita fuiſſent, gradus ad ampliſſimos honores, magiſtratuſque fecere. Horum exemplo Ephori Lacædemoniis fuere, & in Theſſalia ædiles, quibus virgas lixæ præferebant, quorum munus erat annonam, & forum cupedinis curare. Apud Græcos, & Ætolos Agoranomi, quorum edictis vendentium, & ementium rabies coercebatur: qui hoc etiam ſibi arrogarunt, de venditarum, emptarumque rerum uſu, & commercio, deque conventionibus, & pactis cognoſcere. In tantumque honoris culmen ædilitas provecta fuit, ut urbe peſte laborante, majeſtatem conſularis imperii ad ædiles decidiſſe, Livius auctor ſit. Duo Craſſi, & Q. Mutius, & Pub. Lentulus, & Scaurus ſummis honoribus functi, ædilitatem magnificentiſſimè geſſere, illamque magni muneris loco executi fuere. Paulus quoque Æmilius, cùm duodecim magnis competitoribus in petitione ædilitatis prælatus fuerit, pro ſummo honore duxit. *Alex. l.4. c.4.*

DUCES, MARCHIONES, COMITES.

Autharis Longobardorum regno, quod adhuc & viribus imbecillum, & dignitate parum ſpecioſum fuerat, multum & amplitudinis ad decus, & opum ad potentiam addidit. Inſtituit, ut Reges Flavii nomine antiquo Imperatorum exemplo appellarentur, & ut à ſingulis Ducibus (xxx. autem poſt mortem Clephis regis creti erant) vectigalium ſuorum dimidium ad regiam tuendam amplitudinem conferretur. Is cenſus tertio quoque anno in Palatium regium à Jacobo Gualla ſcribitur eſſe illatus. Illis verò uſum urbium, dominio, & jure ſibi retento, reliquit, neque ſucceſſores tradidit, niſi aut virili extincta ſtirpe, aut conflata defectione. *Sigon. libro* 1. *reg. Ital.*

Duces initiò, & Comites ab regibus Francorum præficiebantur gentibus, civitatibuſque, ac cùm videretur, dimittebantur, deinde inveteravit conſuetudo, ut niſi ſceleris convicti abire imperio non cogerentur: idque poſtremo, ut quiſque eo munere donabatur, jurejurando Regum cavebatur. Quod exemplum etiam ad Magiſtrum militiæ, ac eum pervenit, quem Majorem, Magiſtrumve domus Franci vocitabant, eundem Comitem ſtabuli, voce etiam à Juſtiniano Cæſare, ac neſcio an, & antè uſurpata, dicunt: Magiſtrum equitum appellamus. *Æmilius l.1.*

Clemens VI. in contumeliam Ludovici Bavari creavit Vicecomites, Imperii vicarios: viciſſim Ludovicus in Eccleſiæ ditione Vicarios creavit Imperii. *Crantz. lib.9. Metropol. cap.1.*

Vicecomites patricii Mediolanenſes, in partium ſanguinaria diſſenſione, qua Italia univerſa Gibellinorum, & Guelforum appellationibus erat incenſa, pulſis ad extremum Guelfis, qui antè partis unius in ſua civitate capita erant, totius civitatis dominatum occuparunt: quem cùm multos annos tenuiſſent, communi tyrannorum more, ut quod injuria erat, jure occupatum videretur, corroborare primùm veris coloribus, mox ampliſſimis appellationibus ſuam fortunam illuſtrare ſtuduerunt. Idcirco ab Impp. Romanis, Capitanei primùm (ſic enim vulgò vocantur militum ductores, atque præfecti) poſt Vicarii Imperatorii nomine impetrato: tandem Joannes Galeacius (atteſtante Platina) qui à Joanne Galliæ rege ſocero ſuo in Gallia accepto comitatu, ab oppidi nomine Virtutis comes appellabatur, à Venceslao rege Romanorum, ſuo, & maſculæ ſtirpis ſuæ nomine, ducis Mediolanenſis adeptus eſt dignitatem: quem duo ejus filii Joannes Maria, & Philippus Maria continuata ſucceſſione ſunt ſecuti. Verùm in Philippo maſcula deficiente prole, quamvis Alfonſum Aragoniæ, & Neapolitanorum regem neceſſitudine arctiſſima ex illa liberatione, qua cum, relictis Angiovinis, quibus anteà ſemper ſtuduiſſet, à Genuenſibus in pugna navali ad Cajetam captum, liberum abire permiſit, contracta, impulſus: ac multò magis ne Mediolanenſe imperium à potentiſſimo principe defenſum, à Venetis, ad id jam manifeſtò aſpirantibus, occuparetur, teſtamento hæredem feciſſet: Franciſcus tamen Sforcia, vir ejus ætatis in re militari princeps, nec pacis artibus, quàm belli inferior, multis ſimul tum concurrentibus cauſis adjutus: nec minus quòd apud eum plus regnandi cupido, quàm fidei obſervantia valuit, Mediolanenſe imperium, quaſi ad Blancam mariam uxorem ſuam, Philippi verò, haud legitimam filiam, ſpectaret, armis ſubegit: quem fama eſt non magna pecunia ab Federico III. Imp. privilegium obtinere potuiſſe: ſed ratus ſe, quibus artibus principatum illum ſibi pepererat, iiſdem poſſe conſervare, in eo Cæſaris auctoritatem contempſiſſe. Ita ſine privilegio Galeacius ejus filius, & Joannes Galeacius nepos imperarunt. Sed Ludovicus ſimul, & in unum nepotem ſceleratus, & in patris, fratriſque ſui mortuorum memoriam injurius, auſus etiam neutrum ipſorum legitimum fuiſſe Mediolani ducem affirmare, privilegium, quaſi principatus ad imperii jura devoluti, à Maximiliano I. habere voluit: quamobrem ſe non ſeptimum, ſed quartum Mediolani ducem appellavit: quæ tamen res ad paucorum, quoad vixit nepos, notitiam pervenerunt. Dicere præterea, Cyri, qui Artoxerxis Perſarum regio frater minor natu fuit, exemplo, atque id plurium juriſconſultorum auctoritate roborans, ſolebat, ſe Galeacium fratrem, anteire non ætate quidem, ſed naſcendi felicitate, quòd primus eſſet patri jam Mediolanenſium duci natus: quæ ratio una cum priore expreſſa in privilegio Imperatoris fuit: cui ſeparatis literis, ad Ludovici regendam cupiditatem, ridiculo tamen colore, adjunctum: Non eſſe in Romani Imperii more, cuiquam principatum aliquem conferre, qui eum priùs aliorum auctoritate poſſediſſet: idcircò Ludovici preces de privilegio Joannis Galeacii nomine impetrando, Maximiliano non fuiſſe auditas, quòd is primum Mediolanenſe imperium, ejus populo acceptum, retuliſſet. *Guicciardinus libro* 1.

Borſius Nicolai Eſtenſis Marchionis filius ex concubina Ptolomæa Senenſi, cùm Cæſarem Fridericum III. Romam petentem, & inde reverſum magnificentiſſimè accepiſſet, ſuper Mutinam, & Regium civitate ducatus honorem accepit, primuſque omnium in Eſtenſi familia dux appellatus eſt. Platina in Pio II. *Æneas Sylvius c. 52. Europæ.*

Fuit olim Mantua Imperii libera civitas: poſt autem, Mantuani variis agitati motibus, atq; civilibus malis, ad Ludovicum Gonzagam, propter ejectam Paſſerini tyrannidem, rei ſummam deferunt, anno Domini M. CCC. XXVII. hujus abnepotem, Joannem Franciſcum, Sigiſmundus Cæſar creavit Marchionem, anno M. CCCC. XXXIV. additis Imperii ſignis, & Barbaram Joannis Marchionis Brandenburgenſis filiam. Ludovico Joannis Franciſci filio ſpopondit, in uxorem: quæ nuptiæ honeſtate familiam Gonzagam ſunt viſæ, & quòd Sigiſmundo Imp. puella affinitate conjuncta erat, & quòd pater Joannes poteſtatem ineundi ſuffragia ad creandum Imperatorem habebat. *Platina*. Tandem Carolus V. Imp. Fridericum ducem creavit, anno M. D. XXX.

Anglis mos eſt, ut Ducatus, & Comitatus tituli arbitratu principis dentur, etiam ſine poſſeſſione locorum, è quibus ipſi tituli petantur. Nam rex ſolet iis, qui nihil in eo comitatu habeant, ex ſuis vectigalibus dare quotannis aliquam pecuniæ ſummam, in poſſeſſionis loco. *Polydorus l. 19. & 23. Angl. hiſtor.*

PRÆFECTI VARII.
PUTA,
REGNI INTERREGES, PROREGES, VICEREGES.

Quo tempore Romulus ad Capreæ paludem humanitatem exercuiſſe fertur, ſatis conſtat Patres conſcriptos de Regni ſucceſſore ſolicitos, decem decuriis factis, ſinguliſque in ſingulas decurias creatis, ut decem imperarent, unuſque cum inſignibus imperii, & lictoribus eſſet, interreges creaviſſe, quod imperium per orbem ire, & quinque dierum ſpacio terminari juſſerunt. Alii per ternos, quaternoſque dies, interregni ſpacium per ſingulos iviſſe, atque anno uno ſenatores, qui C. numero erant, Imperium tenuiſſe ferunt. Plerique aſſerunt, cùm CC. ſenatores eſſent, à patribus fuiſſe conſtitutum, ut per quinos dies ſinguli, qui faces, & Imperii inſignia habebant, imperarent: functuſque imperio primus, ſecundo, & reliquis deinceps regni curam, munuſque traderet. Nonnulli putant quòd cùm CL. patres eſſent, ſinguli cum facibus prodeuntes, ſex noctis horas, & ſex diei, Quirino imperitarunt, & ſacrum fecerunt: tantundem Tatio, qui regni conſors erat, annuumque intervallum fuiſſe: donec Numa Pompilio Rege creato, Remulo regni ſucceſſor datus eſt. Manſitque mos poſt exactos reges, ut ſi qua fortuna, aut caſu conſules creari nequirent, vel vitio creati forent, aut ſi qua turbulenta confuſio, & neceſſitas premeret, donec de conſulatu decerneretur, aut dictator reip. daretur, interreges præeſſent, qui populo vice conſulum jura darent. Quinetiam ſi contentio inter patres, & plebem foret de magiſtratibus creandis, aut abſentibus conſulibus comitia haberi non poſſent, vel vitio creatis magiſtratibus auſpicia renovari oporterent: vel conſulibus morte ſublatis, de comitiis, & creandis conſulibus contentio eſſet, interreges creari compertum eſt, ut eſſent, qui comitia haberent magiſtratuumque munia obirent. Qui quidem interreges ſine populi ſuffragio, ad concilium plebe non admiſſa, à patribus tantùm auſpicatò creabantur. Quotieſque per interregem comitia fiebant, in patrum poteſtate eventum comitiorum fuiſſe liquet: quippe nemo interrex, qui auctor comitiorum foret, niſi ex patribus erat. Dicebat verò conſulem plerumque interrex, ex patrum decreto, quem ipſi voluiſſent (quòd officium prodendi interregem oratoris fuiſſe autumant) poteratque non modò prætor, ſed conſul, aut dictator interrex fieri. Et ſi quando proditus interrex, munus pro quo dicebatur, exequi nequiret, exacto dierum quinque ſpacio, alius ſuccedebat, qui vices ſuſciperet, donec per ſingulos in orbem irent, ut modò tertius, nunc quintus, aut quartus, nonnunquam quartus decimus, plerumque vigeſimus proditus interrex, conſules, magiſtratuſve faceret, aut comitia haberet: Quos quidem interreges, dum honori præerant, conſulum vicem gerere, idemque juris, & poteſtatis habere, haud dubium eſt: donec abſoluto reipubl. munere, interregum poteſtas finiretur. In quo id plerumque eveniſſe comperimus, ut proditus interrex, comitiis, quę ipſe habuiſſet, conſul crearetur: ſicut de L. Poſthumio Metello traditur, qui his comitiis, quibus interrex præerat, cum Junio Bubulco conſul factus eſt. Illi autem tantæ poteſtatis erant, ut legem ferre poſſent, ſenatum conſulere, & conſulis munia obire. Hoc quoque dicere haud piget, ſine cauſa interregem dicere haud licere: ſed cùm turbulentæ confuſiones, aut tumultus comitia impedirent, & niſi ad IV. Cal. Feb. creari non licuiſſe. Et ſi quando comitiorum cauſa interrex proditus eſſet (quod plerumque uſu veniebat) nunquam ab eo, qui primus proderetur, ſed qui ſecundò, aut tertiò, ac deinceps in orbem iſſent, vel comitia haberi, vel dictatorem dici, aut conſulem, vel tribunum creari. Fertur verò Sylla, cùm ſummæ eſſet potentiæ, conſulibus morbo ſublatis, per ſenatum interregem creari mandaſſe: ſcilicet qui non conſulum comitia exemplo veteri indiceret, ſed ut ſe dictatorem ad imaginem antiquitatis, indictis comitiis, crearet. Neque negaverim, Cæſarum temporibus nullum interregnum fuiſſe, cùm unius imperio occupata rep. ſenatus eſſet negligens, & remiſſus, & vix ulla foret libertatis imago: niſi poſt Aurelianum, cùm de principe deligendo ſenatus opinione vaga duceretur, & cùm militibus tumultuantibus non conſentiret, per ſex menſes deligendo principi interregnum fuiſſe: donec Tacitus in imperio aſſumptus fuerit, qui ſummi principis ſpem oſtendit. Tametſi morte ſublatis Cæſaribus quoties de principe deligendo ambigebatur, ad ſenatum Romanum rem pertinuiſſe, multiplici exemplo probatum ſit: quod Trajanus facere deſtinarat, ut ſi quid ei accidiſſet humanitùs, principem Reip. ſenatus daret. *Alex. lib.5. c.6.*

Surenas ſupremæ dignitatis apud Parthos poſt regem nomen eſt, *teſte Cuſpiniano in Cæſaribus, & Plut. in Craſſo.*

Lupus Symenius primus Prorex Siciliæ dictus. ☞ *Vide Tit. Gratitudinis pro benevolentia, & Conſtanti fide.*

Apud Japonios Indos præfecti duo ſumma cum poteſtate ſunt: quorum alter honoribus, alter judiciorum, & cauſarum cognitioni præeſt. Honoris Præfectus, quem Voonem nominant, ſtirpis ſucceſſione delectus, in deorum numero colitur. Hunc terram pede contingere, religio eſt: ſi tetigerit, magiſtratu depellitur, domeſticis finibus nunquam egreditur, nec temerè in conſpectum ſe dat. Domi vel lectica vehitur, vel ligneis ſoccis ubique prætaltis ambulat. In ſella dum ſedet, ex altera parte pugionem, ex altera arcum, & ſagittas habet. Exteriore tunica rubra, ſerico tenui, uti velo, obducta: interiore autem nigra utitur. Pileum gerit in capite pendentibus vitris, ad inſtar pontificalis tiaræ. Frons rubro, candidoque colore depicta eſt. Cibum è fictilibus capit. *Jovius Metellus.*

PROVINCIARUM EXARCHI.
CATAPANI, THANI.

Tameſi ad reliquas provincias præſides, & magiſtratus Romani cum lictore, & faſcibus irent; tamen Alexandriam conſulares faſces accedere, aut urbem inire vetabatur: quòd divinis carminibus præditum eſſet, tunc demùm Ægyptum fore liberam, cùm ad eam Romani faſces adventarent. *Alex. l.1. c.27.*

Sub Juſtino Imp. primùm excogitatus eſt magiſtratus, qui dictus eſt Exarchatus, ut quodammodò Imp. Vicarius in Italia foret, cujus ſed erat Ravennæ, ea auctoritate, ut pontifex Romæ creatus ab eo probaretur. Incœpit autem anno DC. XX. ut quidam ſcribunt: licèt is annus non cadat ſub Juſtino, ſed Heraclio: duravit annos CLXIV. quoad Aiſtulfus Longobardorum rex Ravennam cepit. *Cuſpin.* ☞ *Vide Tit. Amor urbium.* Longinus Narſeti à Sophia Auguſta ſucceſſor datus, poſt ſuum in Italia acceſſum ſemper ſe tenuit Ravennæ, Romam ne videre quidem dignatus eſt, aut certè ob Narſetem in humanis agentem non eſt auſus. Attulit is ſecum in Italiam novum regiminis nomen Grajæ ſuperbiæ plenum, ut Exarchus diceretur. Idem primus veterem adminiſtrationis formam tota Italia ſuſtulit, ut non cuique provinciæ, regionive ſuus eſſet magiſtratus, ſed ſingulis urbibus ſinguli, qui poteſtate præirent, & jus civibus ſimul dicerent, duceſque appellarentur Magiſtratum tamen, quem unum Romæ conſtituit, Præſidem appellavit. Sed qui poſteà ſecuti ſunt, Duces dici maluerunt. Quo contigit, ut multis inde annis Romanus Ducatus ſit dictus. Fortaſſis & aureus nummus, qui Romæ cudebatur, inde nomen adeptus. Sicque tum demùm Romæ, & reliquæ Italiæ vetus adminiſtrationis forma cum magiſtratuum nominibus interiit: quæ contumeliæ ratio nomen Romani Populi apud exteras gentes, majeſtatemque ad nihilum redegit, cùm per tot alioqui clades, quot aliæ ſi per alias CLX. annorum ſpacio à prima imperii inclinatione rem Romanam afflixerant, neſcio quonam modo decus illud vetus, & majeſtas nominis, magis hominum opinione quàm re adhuc vigeret, veteris imperii umbra potius, quàm quòd aliquid ſupereſſet adminiſtratione dignum. Nam & Narſes conſul Rom. creatus fuit cum Baſilio. *Sab. l.5. Enn.8.*

Græci Impp. Apuliam, & Calabriam ſub Germanis Impp. adhuc tenebant, iiſque præfectum dabant, qui Catapanus dicebatur, unde regio quædam ab illo Catapanatæ nomen invenit. Indicant nova multa à Catapano ipſo oppida ædificata, ut Troja, quæ poſt Apuliæ caput fuit, Draconarium,

rium, Florentinum, & alia. *Sigonius libr. 8. regni Ital.*
A Carolus Magnus, everſo Longobardorum regno, populos, ac civitates in regno, hoc eſt, in Liguria, Æmilia, Venetia, Tuſcia citeriore, & Cottiis alpibus ſitas, ita gubernare inſtituit, Regni limites, atque oppida Comitibus adminiſtranda commiſit, atque eis omnem publicam, & privatam juriſdictionem mandavit, Limites Marchas vocarunt: unde præfecti limitum, Marcharum Comites, ac Marchiones dicti. Extra ordinem autem legatos quoſdam in Regnum majores, quàm Comites, cum poteſtate miſit, quos Miſſos vocavit. *Ibid. l.4.*

Thanus apud Scotos præfecturæ dignitas eſt. *Boethius.*

URBIUM.

☞ *De præfecto Urbis Romæ, vide* Alex. lib. *6.* cap. 8.

Ætolis Polemarchus, claudendarum portarum, & urbis curam gerebat, claveſque noctu habebat: interdiù autem cuſtodiis portarum aſſidebat. *Alex. l.13. c.16.*

Fridericus I. Imp. everſo Mediolano, an. M.C.LXII. Brixiæ, Bergomo, Placentiæ, Como Germanos prætores dedit, quos Poteſtates Imperatoris appellarunt. *Sig. l.13. reg. Ital.*

EQUITUM MARESCHALCHI,
B
CHARTULARII.

Regalium equorum curatoribus præpoſitus, à Conſtantinopolitanis olim Chartularias dicebatur. *Cuſpinianus in Leone III.*

Galli Mareſchalchi muneris eſt ordinarium, Regis equitatum inſpicere, moderarique, & in arduis prœliis primam aciem ductare. *Jovius l.35. Hiſt.*

Apud Turcas equitibus univerſis duo magiſtri equitum præſunt, qui Bellerbechi, hoc eſt, Domini dominorum, ſuperba appellatione vocitantur. Aſiaticus ad Cuthejam Galatiæ urbem, Europeus ad Sophiam Myſiæ inferioris, ſedes habent, conſtitutiſque tribunalibus inter milites jus dicunt, quemadmodum Cadi, qui ſunt ſtatutorum, & legum periti, prætoria auctoritate incolarum controverſias finire ſolent. Bellerbecho parent Sanzachi, Latinè alarum ſigniferi: Sanzachis Subaſi obediunt, qui centenarias turmas ductant. *Sabell. Supplem. l.4. ex Jovio:*

HOSPITUM.

Proxeni apud Græcos erant hoſpitibus excipiendis præfecti, qui ex civitatibus adventarent: propterea civitatum C Proſtatæ dicuntur, & Pheontiſtæ. Herodotus tradit, Spartanis fuiſſe decorum regibus, quem voluiſſent demonſtrare, qui Proxeni obiret functionem. *Cælius lib. 20. c.11. A. L.*

MANSIONUM.

☞ *Ἐπίσταθμος præfectus, σταθμῶν, manſionum curator, hoſpitiorum ſcilicet in comitatu Principis, aut Legati, Duciſve exercitus. Itidem ex Plut. 1. Convival. quæſt. 1. præfectus convivii.*

CUBICULI SILENTIARII.

Magnus Silentiarius Zenonis Imp. fuit Anaſtaſius, qui ei in imperio ſucceſſit, hoc eſt, quietis miniſter. Erat enim dignitatis gradus, Silentiarii apud Imp. titulo honeſtatus, apud Jureconſultum Vir clariſſimus ſacri palatii nuncupatus, honor mediocris. *Cuſp.*

THESAURORUM QUÆSTORES.

☞ *De his, quatenus operam præſtant mechanicam, inter Mechanicos quoque egimus. Hìc Munus ipſum politicum conſideramus.*

Hellenotamiæ, qui pecuniam tributorum afferebant, quam D olim Græci communiter in Delo reponebant. Nam Athenienſes, ſociis volentibus, Pauſaniæ regis Lacedæmoniorum odio, ſuſcepto Græcorum principatu, conſtituerunt, quibus Græcis urbibus naves, quibus pecuniæ præbendæ eſſent, ad ulciſcendum Barbarum, & provincias ejus vaſtandas. Tributum autem deſcriptum fuit ab Ariſthide talentum CCCC. LX. *Suidas.*

A Tullo Hoſtilio Quæſturam primò inventam fuiſſe autumant. Conſtat, P. Val. Poplicolam, qui cum Bruto conſul fuit, cùm Saturni ædem, & ærarium condidiſſet, duos Quæſtores, qui publicæ pecuniæ præeſſent, ſuffragiis, populi creari voluiſſe: Fuere autem hi, P. Veturius, & M. Minutius, qui primi ex patribus quæſturæ munus curiatis comitiis cepere. *Plut. in Valerio* Quæ res cùm bene, & proſperè reipublicæ ceſſiſſet, & plebs cum patribus tumultuata, queſturæ ſe participem fore contenderet, eò deducta eſt, ut ex duobus quatuor quæſtores fierent: duo, qui urbanis negotiis, & ærario præeſſent: duo, qui conſulibus ad belli miniſteria præſtò forent: liberumque eſſet, ut hi poſſent populi ſuffragio ex plebe, vel patribus creari: quo tempore tantum certamen in quæſturam E plebis invaſit, ut ex quatuor vix patritio, Fabio ſcilicet Ambuſto, locus relictus foret. Interjecto deinde tempore, quo Picentes aſſiduis cladibus fatigati, in populi Romani ſocietatem aſciti ſunt, quæſtorum numerus auctus fertur, ut ſenes crearentur conjectari licet, auctis pop. Romani vectigalibus, & quæſtu uberrimo ex provinciis proveniente, illorum numerum, qui id munus exequerentur, quibuſque curatio hæc demandaretur, augere opportuiſſe: donec Syllana lege intercurſu temporum, ultra XX. excreviſſe dicuntur. Conſules, Prætoreſque in provincias profecturi, ſingulos quæſtores, quorum curæ captiva præda, & quicquid auri, argentique inde adveniret, appenſum, adnumeratumque demandaretur, apud ſe habebant. Quorum munus erat, vectigalia pop. Romani in provincia exigere, ſtipendia præbere militibus, ſingulaque accepta, expenſaque rationibus inferre: mulctas quoque pecuniarias tam Romæ, quàm in provinciis exigere, & in publicas tabulas notare: omniumque rerum, pecuniarumque notas, & illuſtres rationes dare: illaſque confectas, & conſolidatas, abſolutaſque per ſuos ſcribas, in ærarium deponere. Licèt autem quæſtura ex minoribus magiſtratibus in urbe foret, ejus tamen dignationis erat, quiſ- F que egregius, & bonæ indolis adoleſcens, ex illa gradum ad reliquos honores faceret. Namque hinc aditum reliquis adeundis magiſtratibus auſpicabantur: ſiquidem primis experimentis, quæſturæ initiati, qui nullis antè honoribus uſi erant, inculpatæ vitæ teſtimonio, ad ædilitatem, mox præturam, & demùm conſulatum, evehebantur. *Alex. l.2. c.2.* Poſt Cannenſem cladem, propter ingruentem ærarii, & militum inopiam, Triumviri conquirendæ pecuniæ monetales ſeu menſarii creati ſunt, æris, argenti, atque auri flatores: quorum munus erat, numiſmata probi auri, & argenti, juſtique ponderis examinare: & alios legendæ juventutis, qui militiæ idoneos per oppida conquiſitos adſcriberent: quod quidem, ingruente bellorum tumultu, ſæpè fieri animadvertimus. Quo enim tempore ad Cannas magna clade pugnatum eſt, conſternata repub. triumviris datum negotium fuit, ut non ingenuos modò, ſed ſervosære coemptos, & mancipia ad quatuor, & viginti millia ſacramento adigerent. *Alex. lib.3. cap.16. & Sab. l.3. En.5.*

ELECTORES IMPERII.

G Ex Caroli IV. Imp. Inſtituo, in ſectione publica Imperatoris, Archiep. Treverenſis Archicancellarius per Gallias (hoc eſt, omnem Imperii provinciam ultra Rhenum, quæ olim non parva fuit) & regnum Arelatenſe, è diverſo à fronte Imperatoris conſidet. Moguntinus autem in provincia ſua, & Cancellariatu per Germaniam, à dextris: & item Colonienſis: in provincia, & Cancellariatu ſuo à dextris Imperatoris: viciſſim à ſiniſtris, alter è duobus: Nam ut Moguntinus per Germaniam, ſic Colonienſis per Italiam primatum tenet. Rex Bohemiæ à dextris Archiepiſcopi, & illum ſequitur eodem latere Comes Palatinus Rheni. A ſiniſtris Archiepiſcopi, Dux Saxoniæ, & illi Marchio Brandenburgenſis. In publicis autem proceſſionibus eodem ordine incedunt: Treverenſis ante Imperatorem, & alii Archiepiſcopi à latere, juxta modum dictum. Rex Bohemiæ ſine medio ſequitur Imperatorem. Quòd ſi Imperalia deferuntur inſignia, Dux Saxoniæ enſem portans, ſtatim ante Imperatorem medius inter ipſum, & Treverenſem: à dextris Ducis Comes Palatinus aureum malum: à ſiniſtris Marchio cum ſceptro. Nam Ducem Mareſcallum vocant, hoc eſt, belli adminiſtratorem, Palatinum dapiferum, Marchionem Camerarium. Officia ſua in Regis coronatione exequuntur hoc ordine. In regia, vel Imperiali curia, quæ pro magnifi- H centia Regni, vel Imperii publicè, & ſolemniter inſtituitur, primus Dux Saxoniæ Mareſcallus plurimam avenam publico loco jubet effundi: eam jumento ſedens ingreſſus, argenteam menſuram, cum cylindro è ſimile metallo, ſimul duodecim argenti Marchas pendentem profert: primus avenam menſurat: eam tradit primùm venienti. Abiens Dux Vicemareſcallo (is ſenior domus de Pappenheym militarium) equum cum menſura, & cylindro, uſibus ejus, & lucro deputanda relinquit: Marchio deinde camerarius equo vectus inſigni, jumento deſiliens, lavacrum ex argento duodecim ponderum marcharum argenti tenet, aquamque dat manibus Regis, vel Imperatoris. Tollit mox Vicecamerarius de Franckenſte in equũ, & lavacrũ ſuis uſibus. Inde Palatinus dapifer, jumento invectus, quatuor argenti ſcutellas duodecim marcharum infert, de jumento deſcendens coram principe inclinans ponit. Magiſter coquinæ de Nortemberg. jumentum ſuis uſibus, & ſcutellas tollit.

mùm

Demum Rex Bohemiæ ſi adſit, equo ſimiliter invectus, pocu- A lum argenteum duodecim marcharum præfert Regi, vel Imperatori, & inclinans porrigit: ſine mora excipiens Vice-pincerna de Limbourg militaris, Regis equum cum poculo ſuis uſibus reſervat. Sedente jam Rege ad menſam, procedunt tres Archiepiſcopi, is medius, in cujus provincia res geritur, cæteris latera ejus ſtipantibus: præ ſe ferentes baculum argenti marcharum duodecim pondere, in quo ſigilla regalia, vel Imperialia ad præſentiam accumbentis præferunt: quæ ille accipiens, reddit ei majus, qui rem medius geſſit, quod ipſe appenſum collo geſtat in hoſpitium. Baculus Imperiali Cancellario cedit: & ad eumdem quoque ſigillum defertur ab Archiepiſcopo. Quòd ſi vicarii prænominati non adſint, cedit abſentium proventus conſuetus curiæ miniſtris. Menſa regalis, vel Imperialis, ſex pedibus ſublimior cæteris. Si adſit regina, vel Imperatrix, ejus eſt à dextris accubitus, tribus cæteris ſublimior gradibus. Electorum ex ordine ſeptem menſæ, ſic æquali paſſu ſtatuuntur, quomodo eſt conſeſſus eorum. Ad eorum principum menſam nemo accedit, nec licet cuiquam accumbere, quamdiu fuit aliquid ſuperagendum, ex comprincipibus. *Crantz. l.6. Sax. c.29.*

FOEDERUM.

B ☞ *Fecialium originem, numerum, & officium,* Alex. lib.5. cap.3. *proſequitur.*

Feciales à Numa primùm inſtituti ſunt, è nobiliſſimis familiis delecti, qui eo munere per omne vitæ tempus fungerentur. *Dion. l.2.* eorum provocationem ſeptem in partes deſcribit. I. Ut viderent, ne populus Rom. ulli fœderatæ civitati bellum inferret. II. Ut ab exteris nationibus res injuria ademptas repeterent. III. Ut poſtulata facere recuſantibus bellum indicerent. IV. De injuria contra fœdus illata cognoſcerent, & qui noxam nocuiſſet, dederent. V. De legatorum injuriis cognoſcerent, & ut fœderum conditiones ſervarentur, viderent. VI. Pacem facerent: eam, quæ minùs rectè facta eſſet, reſcinderent. VII. De eo, quod Imperator contra jusjurandum feciſſet, cognoſcerent. *Varro de vita populi Rom.* Itaque bella & tardè, & nulla licentia ſuſcipiebant: quod bellum nullum, niſi pium, putabant geri oportere: & priùs quam indicerent bellum iis, à quibus injurias factas ſciebant, Feciales legatos repetitum mittebant quatuor, quos Oratores vocabant. Si cujus legati violati eſſent, qui id feciſſent: quamvis nobiles eſſent, ut dederentur civitati ſtatuerunt: Fecialeſque XX. qui C de his rebus cognoſcerent, judicarent, & ſtatuerent, conſtituerunt. *Hotom. de Verbis juris.*

CONSILIORUM, JUDICIORUM.

☞ *Conſule locum Judicum.*

Amphictyones, ex urbibus, & populis ſelecti judices: Fuit enim Concilium Græcanicum ad Thermopylas. Sic autem dicti ſunt, vel ab Amphyctione filio Deucalionis, vel quòd circum Delphos habitarent. Qui cùm Rex eſſet, hos duodecim populos convocavit: Jones, Dorienſes, Perrhæbos, Bœotios, Magnetes, Achæos, Phthiotas, Molienſes, Dolopes, Ænianes, Delphos, Phocenſes. *Suidas.*

Apud Athenienſes Ἐπιστάτης dicebatur unus è Senatoribus, hoc eſt, antiſtes, ſeu præſes, cui id ſorte evenerat, nec licebat eundem bis eſſe præſidem. Cuſtodiebat autem templum, in quo ærarii erant claves, & publicum ſigillum. Cùm verò Senatores, qui πρυτανεῖς dicebantur, quique Remp. gerebant (neque enim omnes Senatores eodem tempore, ſed per vices negotia publica tractabant) Senatum, aut populum cogebant, Epiſtates proedros novem, quaſi præſides dicas, ſor- D tiebantur, è ſingulis tribubus ſingulos, ea excepta, quæ tum Rempubl. gerebat: & rurſus ex iis novem, unum Epiſtatem ſortiebatur, & negotia ei tradebat: ipſe verò actiones dabat in judiciis, curabatque, ut ex legibus omnia gererentur, neque prætermitteretur quicquam, quod ad judices edocendos pertineret. *Suid.*

Apud Turcas purpurati Baſſæ numero quatuor graviſſimarum rerum conſiliis præſunt, & per ſingulas hebdomadas quatuor continuis diebus in regia coeunt, ſupplicibus libellis reſpondent, lites dirimunt, ipſo Imp. ex protecta velo feneſtella cunctas controverſias, querelaſque populorum, & Baſſarum reſponſa intentis auribus excipiente, ut tantarum rerum judices Cenſorem pœna, & præmio cuncta expendentem adeſſe intelligant. Hujus ordinis antiquior principis ſcrinio, gemmaque potitur, appellaturque Vezir, & ſcribis, atque notariis decreta dictat. *Sab. Suppl. l.4. ex Jovio.*

MORUM CENSORES.

☞ *Petatur ex loco Cenſorum.* E

LIBELLORUM, CODICILLORUM,
SCRIBÆ, CANCELLARII.

Æmilius Probus tradit, apud Romanos Scribas mercenarios fuiſſe, apud Græcos majore dignatione, nec ad id officium admiſſos niſi honeſto loco, & fide, & induſtria cognita, quòd neceſſe fuerit omnium conſiliorum eos eſſe participes, hucque locum officii, amicitiæque apud Macedonum reges extitiſſe. Cancellarii nomen Arcadio, & Honorio Cæſaribus jam à Latinis (ut tunc literæ erant) receptum fuiſſe, ex eorùm functionibus, quæ in Juſtiniani libris leguntur, apparet. Ut nunc apud Francos res habet, neſcio an quem ipſi Cancellarium dicunt, rectè præfectum juris dicere poſſimus, voce etiam à Livio uſurpata. Burgundiones, cùm eis Allobroges contribuebantur, tantum honoris nomini habebant, ut etiam regni ſui Archicancellarium haberent, vocitareque auderent, & Euſtathii Bononienſis Comitis fratrem Andreas hiſtoricus non Regis Cancellarium, ſed Franciæ vocitat. Magnitudinem virorum, qui eo munere fungebantur, vires, decuſque illi attuliſſe crediderim, ut ab exiguis initiis ad tantam majeſtatem pervenerit. Et magiſtrum ampliſſimum eſſe neceſſe erat, quem apud Francos Godofredus Pontifex Pariſiorum regiæ urbis ſub F Philippo I. apud Burgundiones Archiepiſcopus Viennenſium gerebat. *Æmil. l.3.*

INCENDIORUM PRÆFECTI.

Sthenobarchos dici, auctor eſt Dion, quaſi præfectos angiportubus, qui adverſus incendia conſtituebantur ex plebe, quibus veſte uti permiſſum eſt principali, & duos habere lictores in locis ſui juris. Factum hoc imperii ſtationem tenente Auguſto. *Cælius l.2. c.3. Antiq. Lect.*

LEGATI.

Legatorum nomen latiſſimè patet, & pro quovis Magiſtratu ſumitur, cui obeundi muneris alicujus, foris præſertim officium delegatur. Sic legatos appellabant Romani eos, qui conſulibus conſultorum loco addebantur, in provincias profecturis. Interdum quoque Legati ipſi conſulum loco adminiſtrabant provincias, bellaque conficiebant. Et priores quidem illi ad Conſultores propria pertinent; poſteriores verò inter Reges, Duces, Conſules, connumerari debent, quorum perſonam ſuſtinent: hodie vulgò Vicereges, Viceduces, Vicarii, Locumtenentes appellantur. Jam qui cujuſcumque negotii oretenus expediundi aliò mittuntur, communi iidem no- G mine Legati propriè Oratores dicuntur.

Conſulatur Locus de Legatione, & Legatis.

Apud Græcos, niſi præconibus adhibitos, legatos minimè hoſtium fines ingredi decebat: neque legationis munere fungi quemquam, ni prius infuſa aqua ab iiſdem, manus abluiſſet, Jovique coronatis poculis propinaſſet. *Alex. l.5. c.3.*

ΕΠΙΣΚΟΠΟΙ, & φύλακες, Inſpectores, & Cuſtodes dicebantur ii, quos Athenienſes in ſuæ ditionis urbes, ad ſtatum rerum cognoſcendum, & conſtituendum, mittebant: ſicut ἁρμοσταὶ, id eſt, coagmentatores, ſeu compoſitores, quos Lacedæmonii. *Suidas.*

Apud Romanos, ſi qui legati, qui jure gentium ſancti erant, violati eſſent, ut hi dederentur, qui jura gentium temerè violaſſent, per feciales cavebant. Erat enim veteribus jus Legatorum ſanctum, & inviolabile, cùm hominum præſidio munitum, tum divino jure defenſum, quod etiam inter bella, & hoſtium tela incolume ſervabatur. Unuſquiſque conſulum, ſuum habebat legatum, quo præcipuo conſultore, ac miniſtro conſiliorum in rebus gerendis, delectuque habendo, totaque adminiſtranda provincia utebatur. H *Alex. ab Alex. l.6. c.3.* ubi multa de legatorum munere, & officio doctiſſimè diſſerit.

Q. Fulvio Conſuli, gravi vulnere affecto, cùm exercitui, & caſtris præeſſe nequiret, adverſùs Hannibalem, ex patrum decreto tres legati additi fuere. *Idem.*

Cn. Pompejus bello Piratico, contra tot prædones, & communes hoſtes omni genere rapinarum graſſantes, cùm ſolus ſupereſſe nequiret, XXV. legatos accepit, tametſi aliquando ſolus ipſe legati munus obiret. *Alex. ab Alex. lib.6. c.3.*

C. Jul. Cæſari Imp. (cujus in re militari præcipua virtus fuit) dum contra efferas gentes bellum parat, X. legatos conſilii ſocios decrevit Senatus, quibus adjutoribus, & miniſtris magnas res geſſiſſe fertur. *Idem.*

Ludovicus XI. Galliæ Rex, cæſo ab Helvetiis prima dimicatione Burgundo, Germanos diligenter ſollicitabat, &

obſeſſis

obſeſſis undique viis, utebatur mendicis, & id genus homini-
A bus internuntiis. *P. Comineus 7. Comment.*

MAGISTRATUS A NUMERO DENOMINATI.

☞ *De Duumviris,* III. *viris,* IV. *viris,* V. *viris,* VII. *viris,* X. *viris,* XV. *viris, &c. viris Rom. vide* Alex. l. 3. c. 16. *Nam quoties aliquod munus factu difficile Reip. impendebat, in quo præcipua aliquorum opera fideſque exquirebatur, ubique multum ſtudii, curæque opus erat: modò duumviros, nunc triumviros, aut quatrumviros, quinque viros, ſex viros, aut decemviros creavere: quorum ope, conſilioque injuncta numera ſæpe executi ſunt: ipſique negotio abſoluto, pro quo dicti, creatique erant, ab injuncto munere quieſcebant.*

NOVEMVIRI.

Novemviri Athenis ſortito creabantur annis ſingulis, qui Archontes nuncupabantur: inter quos primus Archon, primarius Archontum, & longè princeps erat: à quo Athenienſes, ſicut Romani à conſulibus, & Lacedæmonii à tribunis, annos, & tempora dinumerabant. Eum honorem, qui ſummus erat magiſtratus, Hadrianus Cæſar dum Athenis ageret, & mox Galienus geſſiſſe fertur. Secundus, à regia
B dignatione Baſileus: tertius, à belli ductu Polemarchus: reliqui, à legum-latione Themoſthetæ dicti ſunt, ætate, & uſu docti, qui domi jura dabant, querelas, accuſationeſque cognoſcebant: deque controverſiis æquo examine decernebant. *Alexand, lib. 3. cap. 16.*

DECEMVIRI.

Decemviri conſulari poteſtate, ſine provocatione creati, Coſſ. abdicatis, qui leges Athenis allatas conſtituerunt, & in XII. Tabulas redegerunt, anno Urbis, ſecundùm Contium, CCCII. cùm Appius Claudius Craſſinus, & T. Genutius Augurinus conſulatu ſeſe abdicaſſent. Vixdum tamen duobus annis exactis, propter Appii Claudii triumviri libidinem, qui Virgineam L. Virginii centurionis F. ſtuprare volebat, Decemviratus ſublatus, & Coſſ. denuò creati.

Ducenteſimus, & quadrageſimus agitur annus, ex quo Decemviralis magiſtratus pro Reipub. ſalute præcipua Venetiis creatus eſt, cui tria præcipuè vindicanda ſcelera ſunt commiſſa. Primum quidem illud fuit, ut ne quis contra libertatem, patriaſque leges novum conſilium moliri poſſit. Alterum
C ne falſam monetam quiſpiam ullo modo excuderet. Tertium ac ſupremum, ut caverent decemviri, ne quis temerario incœpto maſculam venerem attentaret, ut ipſa pudicitia omnibus mortalibus conſtaret: quæ ſanè crimina capitalia forent hiſce, qui convicti decemvirali ſententia forent: *Egnatius l. 6. c. 1.*

LECTORI.

☞ *Cùm Veteres, ac Recentiores, qui de Romano Imperio ſcripſerunt, multa ſparſim, ac variè de officiis magiſtratibus, qui jam inde ab Auguſto in utroque Imperio, quippe tam Romæ quàm Conſtantinopoli Imperii ſedem poſuere, fuerunt, prodiderint: neque enim eandem ſemper magiſtratuum formam, aut numerum obſervarunt Imperatores; viſum fuit hoc loco inſerere ex lucubrationibus doctiſſimis* Julii Cæſaris Bullingeri, *de iiſdem brevem, & elaboratam ſeriem nempe exempla aliquot domeſticorum officiorum: item militarium, & publicorum, ut de eorumdem varietate Lectori curioſo valeat conſtare.*

D

*DE VARIA MAGISTRATUUM. ROMÆ ORIGINE.

Magiſtratus Imperii Romani alii fuere ſub Regibus, & Conſulibus, de quibus olim Feneſtella narrante Plinio: & noſtra ætate plerique accuratè ſcripſerunt. Alii ſub Imperatoribus, qui Romæ, & Conſtantinopoli ſedem Imperii poſuere, de quibus Hiſtorici veteres, Notitia Imperii Romani, Codinus, & alii plerique. Nobis conſilium eſt ea in unum contrahere, quæ veteres, ac recentiores ſparſim, ac variè de officiis, ac magiſtratibus, qui jam inde ab Auguſto in utroque Imperio fuere, prodiderunt. Imperatores enim non eandem omni ævo magiſtratus formam, aut numerum obſervarunt, Auguſtus Præfectum urbi, Præfectum Prætorio, Præſides, Legatos Procuratores Cæſaris, & alios magiſtratus inſtituit. Nova etiam officia, *ut loquitur Suet, l. 2. c. 37.* excogitavit, Curam operum publicorum, variarum aquarum, alvei Tiberis, frumenti populo dividendi, præfecturam urbis, Triumviratum legendi Senatus, & alterum recognoſcendo turmas equitum, quotieſcunque opus eſſet. Cenſores creari deſitos longo intervallo creavit, E numerum Prætorum auxit. Curam ærarii à quæſtoribus urbanis ad prætorios, prætoreſve transtulit. Statuit, ut Centumviralem haſtam, quam quæſtura functi conſueverant cogere, Decemviri cogerent. Hadrianus Magiſtratuum numerum auxit, & ex parte immutavit. Qua de re Spartanus loquitur in hæc verba. Hadrianus labentem diſciplinam retinuit ordinatis, & officiis, & impendiis. Victorinus Hadrianus, inquit, officia ſive publica, & palatina, nec non militiæ in eam formam ſtatuit, quæ paucis per Conſtantinum immutatis, perſeverarunt. Quare in Panegyrico Theodoſii, Romam Auguſtus mœnibus ornaſſe, legibus Hadrianus imbuiſſe, finibus Trajanus auxiſſe dicuntur, Conſtantinus Magnus, Theodoſius Juſtinianus, Alexius, Comnenus, & alii Imperatores auxerunt, immutarunt, & aliis nominibus prodiderunt, & officia, quæ olim domeſtica erant, & à ſervis, aut libertis curabantur, publica fecerunt. Cubicularii enim, & qui ab epiſtolis, aut commentariis dicti olim in officio domeſtico erant, qui poſteà ad imperii curam traducti ſunt, aut in Palatinis officiis cenſeri cœperunt. Quod ut clarius appareat, libet hic ex veteribus Inſcriptionibus exempla quædam officiorum domeſticorum ſubtexere, quibus officia militaria, & publica ex F eodem penè ſubiiciam.

*OFFICIA DOMESTICA. EX VETER. INSCRIPT.

A

A Bibliotheca Græca palatina,
A Bibliotheca Appollinis.
Ab argento potorio Liviæ
Ab argento ſcenico.
Ab auro eſcario *Tacitus* tamen *l. 2. Annalium* ſcribit ſub Tiberio decretum, ne vaſa auro ſolida miniſtrandis cibis fierent. *Dio*, ne vaſa ex auro, niſi quæ ad ſacra deſtinarentur.
Ab hortorum cultura.
Ab Epiſtolis.
A cura amicorum.
A Diplomatibus.
A cura Catelſæ Liviæ.
A marmoribus magiſter. Vetus lapis, M. Ulpio Auguſti liberto Phœdimo D. Aug. Trajani à potione. G
Ab ornamentis,
Ab vehiculis.
Ad cenſus Druſi Cæſaris.
Ad cenſus Patroni.
A Commentariis beneficiorum.
A Commentariis rationis hæreditatum.
A Commentariis rationis vehiculorum.
Actor Cæſaris.
A cubiculo Domitiæ Auguſtæ.
A laguna, & triclinarcho, proximo lictori.
A cubiculo S. Pompeii.
A frumenti miniſtratione.
A Jano abatrienſi.
A laguna.
A libellis.
A mundo muliebri.
A manu.
A potione Liviæ.
A marmoribus. H
A Quæſtionibus.
A rationibus.
A ſtudiis D. Claudii Aug.
A ſupellectili domus aurificum
A ſupellectile.
A veſte.
A patrimonio.
A veſte magna Liviæ.
A veſte matutina.
A veſte regia.
A veſte Imperatoria primata.
A veſte regia, & Græcula.
Ab epiſtolis Latinis.
Ab epiſtolis Græcis.
A rationibus tabularum.
Adjutor tabulariorum.

Apendice cedri S. Pompei.
A Ad argentum potorium.
Adjutor tabulariorum à rationibus.
Adjutor tabularior. rationis hęredit. Cęſaris.
Adjutor à libellis.
Ad veſtem.
Architectus Auguſti.
Atrii curandi.
A veſte.

C

CASTELLARIUS aquæ Claudiæ.
Comes Auguſti.
Conſiliarius Auguſti.
Corinthiarius Agrippæ.
Cubicularius Cæſaris.
Corpore cuſtos Neronis Cæſaris.
Curator triumphi Germanii.

D

DECURIO larium Voluſianorum.
De pædagogio.
B Deſignator Cæſaris Auguſt.
Diſpenſator Auguſti.
Diſpenſator Capitolii.
Diſpenſator Montanus Imper. Domitianus ſervus.

E

EVOCATUS Auguſti ab actis fori.
Evocatus Auguſti à Quæſtionibus.
Exactor operum dominicorum.
Exactor prædiorum Lucilianorum.
Exactor tributorum in Hel.
Exactor S. Pompeii.
Exactor hæreditatum.
Exactor legatorum.
Exactor peculiorum.
Exceptor Auguſti.

H

HOSPES Tiberii Cæſ.

I

ΓΑΤΡΟΣ χειρουργος.
Invitat. Cæſaris.

C

L

LECTICARIUS Liviæ.
Lictor proximus Trajani Imp.

M

MAGISTER larium Auguſtal.
Magiſter Imp. Antonini, & Lucii.
Miniſter Germanicianus.
Medica Livilles.
Miniſtrator Cæſaris.
Medicus à Bibliothecis.
Medicus ab oculis.
Mulio S. Pompeii.

N

NECESSARIUS Auguſti, & Comes per omnes expeditiones.
Nomenclator Auguſti.
Nomenclator à Cenſibus.

O

OFFICINATOR à ſtatuis.
Optio tabellariorum ſtationis marmorum.
Officialis.
D Ornator glabrorum Tiberii Cæſ.
Ornatrix.
Oſtiarius.

P

PATRIMONII tutor.
Præfectus Nervæ Cæſar.
Prępoſitus argenti potorii.
Prępoſitus argenti eſcarii.
Pręfectus teſtamenti.
Pręguſtatorum procurator.
Prępoſitus à fiblis.
Prępoſitus à criſtallinis.
Prępoſitus velariorum domus Aug.

Procur.
- ab epiſtolis.
- ab ephemeride.
- à mandatis.

Procurator.
- à patrimonio.
- ad prędia Gallicana. E
- Patrimonii.
- Provinciarum.
- Vitæ Oſtienus, & Campan.
- Auguſti ab alimentis.
- Aug. à rationibus.
- XX. Hęreditatum.
- Thermas. Antoninian.
- Saltus Domitiani.
- Cęſaris.

Proximus ab epiſt. Græcis.
Proximus à Rationib.
Procurator Den. Num. Mai. Q. Aurel. Severi. Alexand.
Procur. fiſci Aſiatici.
Procur. Provinciæ Belg.
Procur. utriuſque German.
Procur. ſaltus Domitian.

Q

Quæſtor Auguſti.
Quæſtor Auguſtalium.
Quæſtor Cęſaris.

R

Rationalis purpurarum.

S F

SCRIBA cubiculi.
Servus lecticarius.
Sarcinatrix Liviç.
Servus Claud. Cęſ. à marmoribus magiſter.
Servus diſpenſator. Tib. Claud. German.
Servus miniſtrator Domitia.
Servus triclinarius S. Pomp.
Servus villicus.
Strator Coſ.
Supra velarios de domo Auguſta.

T

Tabularius Fauſtinę.
Tabularius à murib.

Tabul.
- à ration.
- à vehicul.
- hæredit.
- marmorum. lunenſ.
- patrimonii tutor.
- Meſor. ædificiorum.
- rationis patrim. Cęſarum. G
- rationis fiſci frumenti.
- rationis hęredit. Cęſarum.
- villę Tiburtis.
- provincię Luſitanię.

Tonſor S. Pompeii.
Tonſtrix.
Tricliarcha.
Triclinarius ſervus.
Tutor patrimonii.

V

Velarii de dom. Aug.
Vicarius rationis.
Vicarius arcani Tiber. Claud. Auguſt. ſervus.
Unctor Auguſti.
Villicus hortorum Majanorum.
Villicus Cęſarum.
Viator apparitor D. Claudii.

H

OFFICIA MILITARIA. EX VET. INSCRIPT.

A

A Copiis militaribus.
A militiis.
A ratione militaris frumenti.
A tabulario Caſtr.
Actuario leg. VII. Gemin.
Adjutor cornicularii.
Adlectus ad munera præfecturarum leg. Septimę.
Armorum cuſtos.

B

BENEFICIARIUS Pr.

C

CAPIDUCTOR.

Centurio ſtatorum.
A Centurio frumentariorum.
Cohortis ductor.
Cornicularius legionis 3.
Cornicularius præf. præt.
Cuſtos legionis à locis ægris.

D

Dendrophori Romani.
Decurio Germanor. Tiber. German.
Ducenarius vir.
Duplarius.

E

Evocati ſtratorum.
Exercitatores.
Explorator legionis ſextæ.
Frumentarius.
Miles Speculator.

O

Optio in Centuria.
Optio ſigniferorum.

P

B Præfectus haſtatorum.
Præfectus ærarii milit.
Præfectus militum.
Præfectus auxiliorum omnium.
Præfectus claſſis.
Præfectus cohortis.
Præfectus, { equitum.
fabrorum.
haſtarum.
juventutis.
legionis.
ripæ Danub.
vehiculor.
vigilum.
vigilum, & armorum.
legionum. }
Præpoſitus vexillationis.
Principalis beneficiarius trib.
Procurator Auguſt. legion. 7.

S

Schola ſpeculatorum legion. primæ.
Secutor tribuni.
C Sevir equitum.

T

Tercenarius.
Tribunus cohort. prętorian. & urbanarum trium.

V

Vir Ducenarius.
Servir equitum Rom. turmæ primę.

OFFICIA PUBLICA.

A

Ab actis.
Ab actis Senatus.
Ab ętario Saturni.
A commentariis XV. virum.
Adjutor procurationis ornamentorum.
Adjutor ſummi Choragii.
A libris pontifical.
D Ab opera publica.
Accenſus velatus.
Adlectus Decurio.
Adlectus inter immunes.
Adlectus inter patricios.
Adlectus inter prætorios.
Adlectus inter tribunitios.
Advocatio urbana.
Advocatio Reip.
Æquidicus.
Annonaria poteſtas.
Auguſtalis.
Auguſtalis honor.

Censitor civium Rom.
Cenſit. Coloniæ victricenſ. in Britannia.
Comes conſiſtorii. E
Comes in conſiſtorio primi ord.
Comes domeſticorum.
Comes domeſticus ordinis primi.
Comes ord. primi.
Candidatus Auguſti.
Candid. Cæſaris in prætura & in trib. plebis.
Candid. D. Hadriani in omnib. honorib.
Comes ordinis primi intra conſiſtor.
Comes ordinis primi intra palatium.
Comes ord. primi extra conſiſtor.
Comes ord. ſecundi.
Comes orientis Ægypti, & Meſopotam.
Comes ſtabuli ſacri.
Comes, & magiſter utriuſque milit.
Conſularis Campanię.
Conſul Æmilię.
Conſular. Europæ & Thracię.
Conſular. Sicilię.
Conſular. Thuſcię, & Umbrię.
Corrector Flaminię. & Piceni.
Correct. Italię. F
Correct. Thuſcię, & Umbrię.
Correct. Venet. & Hiſtrię.
Cura Kalendarii.
Curator Kalend.
Curator alvei, & ripar. Tiberis, & cloacarum urb.
Curator Annonę.
Curator aquarum, & Minutiæ.
Curator aquę ducendę.
Curator civium Roman. Moguntiaci.
Curator frumenti.
Curator frumenti comparandi.
Curator inſtrument. Veronenſ.
Curator locor. public.
Curator pecunię publ.
Curator pecunię ſacrę.
Curator regionis urbis.
Curator Reip.
Cur. { Sartor. tector oper. publicor.
Thermarum variarum.
Vię Flaminię, & Tiburtinę.
Viarum.
Viarum ſternendar. G
Vici quadrati.
Vię Nomentanę. }

D

Decurialis ędil. pleb. Cerialium.
Decurionatus honor.
Decurionum ornamenta.
Decurionalium Muner. 4. viralis.
Denuntiatores regionum urbis.
Denuntiat. Puteolani.
Deſſignator.
Ducenarius vir.
Duce Ducenario.
Duumvir.

E

Electus ad cognoſcendas Vice Cęſar. cognitiones. H
Exactor oper. public.
Exactor tributi civitatum Gallię.
Exarchus.
Ex pręfecto Pręt. Cos. ordinarius deſignatus.

I

Judex ex delegationibus ſacris.
Judex quęſtionum.
Judex ſacrarum cognit.
Judex ſelectus ex V. Decuriis.
Juridicus Ægypti.
Juridicus Aſſyrię, & Gallecię.
Juridicus per Picenum, & Apuliam.

L

Legatus Auguſti pro pretore.
Legatus, & Comes Claudii Cęſar.

M

A
Magiſter à Blibliotheca Apoll.
Magiſter cognitionum ſacrar.
Magiſter. { Epiſtolarum.
Equitum peditumque.
Horreorum Galbianor.
Libellorum.
Memoriæ.
Officiorum omnium. }
Magiſtri. { Pagi.
Vici.
Utriuſque milit.
Auguſtales.
Fontis Lollioni.
Vicorum urbis Region. 14. }
Miniſtrator Decuriæ IV.

N

Nomenclator Cenſorius.
Notarius, & Tribunus.
Notarianus Prætorianus.

B

O

Octumviri.
Omnibus officiis in caliga functus.
Orator cauſarum tribunalis Africani, & in conſiſtorio Principum.

P.

Patronus Caſtri.
Patr. Collegio fabr. & centonar. & dendroph.
Patr. { Coloniæ.
Coporis.
Municipii, & plebis. }
Præfecti Præt. Arcarius.
Præf. Præt. Cellarius.
Peræquatuor cenſus provin. Gallecię.
Præfectus 15. Populor. Hetrurię.
Præfectus. { Ærarii militaris.
Ærarii Saturni.
Ægypti.
Alimentorum.
Annonę urb. ſacrę cum jure glad.
Frumenti dandi.
C Jure dicundo.
Juventutis.
Monetę Triverię. }
Pręfectus Pretorio Illyr. & Orient.
Pręf. orę maritimę.
Pręf. ripę Danubii.
Pręſes provincię Aquitanię.
Prępoſitus ſacri Palatii.
Pręſes prov. German. ſuperior.
Pręt. { Inter cives.
Candidatus.
Tutelaris.
XV. Populis Hetrurię.
Tiburtinus.
De fidei commiſſis.
Juventutis. }
πρεσβευτὴς ϗ ἀντιστρατηγός.
Primęvus in conſiſtorio.
Princeps juventutis.
D Princeps in Senatu.
Procurator { à rationibus.
ad alimenta.
ad bona damnat.
Alpium Atrectianarum.
Auguſtal. via Oſti. & Campan.
hæreditat.
Hiſpaniæ citerioris. }
Pręf. { Oper. publ.
Provincię Lugdun.
Prov. Belgic.
tractus Carthag.
XX. Hęreditat. }
Prolegatus Provinc. Rhetię & Vindel. & Vall. Pęnn.
Promagiſter XX. hęredit.
Propręfectus Pręţor. in urbe Roma; finitimiſque Provinciis.

Q

Quæſt: { Alimenta. E
Ærarius.
Anni primi.
Candidatus.
Collegii Centonariorum.
Deſignatus.
Provincię.
Veronæ, & Brizię.
Urbananus.
Quinquennalitius juvenum.
Quinquennalitius perpetuus. }

R

Rationalis.
Rector Provincię.
Reſtitutor Reip. Veronenſ.

S

Sacrarum Remunerationum.
Scriba Quęſtorius.
Scriba Armamentarii.
Senator ſummus. F
Senator Maximus.
Silentiarius ſacri palatii.
Statutor Auguſtorum.

T

Tabellarius a porta Fontinali.
Tabellarius à Ripa.
Tabul. Provincię Hiſpanię liter.
Tribunus Pretorianus.
Tribunus fori ſuarii.
Tribunus, & notarius Pretorian.

V

Viator { Ædilis plebis.
Collegii magni.
Conſularis.
Conſular. & Prætorius.
Quæſtorius. }
Vicarius Aſię.
Vicar. Italię.
Vicar. Pręfecti per Hiſpanias.
Vice ſacra cognoſcens.
Vice ſacra judicans. G
Duumvir Anconę.
Duumvir Jure dicundo.
Triumvir { ęre, aur. arg. flando, ferien.
ad ęgros dividendos.
Capitalis.
locorum perſequendor.
loc. publicorum.
Monetę auri. arg. ęr. flandi.
Reip. conſtituendę. }
Quadruumvir Ædilitię poteſtatis.
Quatuorvir jure dicundo.
Quinquevir Veronę.
Quinquevir Viarum.
Quinquevir viarum curandarum.
Quinquevir Slitibus judicandis.
Sevir Auguſtalis.
Quinquevir ex decuria armamentaria.
Sevir equitum Roman.
Sevir jure dicundo.
Octumvir ędilis plebis poteſtate.
Septemvir epulonum. H
Decemvir agris dandi ad II. Judic.
Decemvir Slitibus judicandis.
Quindecimvir agris dandis.

Hęc è veteribus Inſcriptionibus excepimus, quę jam pluribus illuſtrare animus non eſt, quod ordine & regia via ingrediendum arbitramur. Primùm igitur Magiſtratus ordinarios majores, & minores percurremus à Romulo ad Conſtantinum Magnum, tum extraordinarios majores, & minores exequemur. Sua quibuſque tempora reddemus. Deinde eos, qui Conſtantino inſtituti ſunt, è *Zozimo*, & *Notitia Imperii Romani* ſublegemus. Officia eorum adſcribemus.

* MAGISTRATUS MAJORES
Ordinarii.

A Rex. Reges 7. fuere. Primus Romulus, ultimus Tarquinius Superbus.

Tribunus Celerum à Romulo inſtitutus primus fuit Fabius Celer, noviſſimus L. Brutus.

A Celeribus equeſter ordo profectus. *Livius lib.* 1.

Conſules duo creati anno urbis 245. *Livius lib.* 2.

Cenſores duo anno 311.

Prætor primùm unus, tum duo, deinde 4. mox 6. ſub Sylla Dictatore octo.

Prætor de ambitu. P. veneficio, vel falſo.

Prætor.
- Urbanus.
- Peregrinus.
- De majeſtate.
- De vi.
- De repetundis, ſeu de Peculatu.
- De crimine inter ſicarios.

Sub Julio Cæſare X. fuere, duo Cereales.

Sub Auguſto XII.

B Claudius duos addidit, qui de fideicommiſſo jus dicerent, quorum unum detraxit Titus, reſtituit Nerva, qui inter fiſcum, & privatos jus dicerent, ut *Sueton. in Claudio, Pomponius lib.* 2. *De orig. juris.* M. Antoninus Prætorem tutelarem inſtituit, ut Capitolin.

Pomponius Prætores ſub Auguſto XVI. fuiſſe vult. Quod Dio *lib.* 56. anno urbis 764 accidiſſe ait, ſed paulò poſt eundem ad XII. revocaſſe Tiberius *apud Tacitum lib.* 1. *Annal.* ſe numerum XII. Prætorum non exceſſurum jurat falſo. Anno enim urbis 786. Prætores XV. creavit. *narrante Dione lib.* 58. Interdum uno, duobuſque, plus, aut minus creavit.

Claudius aliàs XVIII. *ut Dio lib.* 60.

Imperatores, Cæſares, Auguſti, Principes, Senatus.

Principes juventutis, πρόκριτοι τῆς νεότητος *ut Tacit. & Dio*, qui poſteà Cæſares, Nobiliſſimi, Deſpotæ. *Tacit. lib.* 1. *Annal.* lapis Ancyran. Zozymus, Codinus.

Præfectus urbi ab Auguſto inſtitutus, πολίαρχος. Dio urbis cuſtos. *Seneca ep.* 84.

MAGISTRATUS MAJORES
Extra ordinem.

Præfectus urbis, abſente ordinario magiſtratu à Romulo inſtitutus, quorum primus Denter Romulius. *Pomponius lib.* C 2. *de orig. juris.*

Interrex poſt Romuli mortem creatus ante Numę regnum.

Dictator, & magiſter equitum anno urbis 256. *Livius.*

Decemviri legibus ſcribendis conſulari poteſtate, an. 303.

Tribuni militum Conſul. poteſtate anno 310. *Livius.*

Triumviri Reip. conſtituendæ Octavius, Antonius, Lepidus ſub annum 710. *Dio lib.* 46.

* MAGISTRATUS MINORES.
Ordinarii.

Quæſtores ordinarii duo, qui & quæſtores urbani à Tullo Hoſtilio rege creati, *ut vult Ulpianus D. lib.* 1. *De Quæſtorib. vel ut Plutarchus* à Valerio Poblicola.

Tribuni plebis duo anno urbis 260. poſtea decem creati.

Ædiles plebis duo eodem anno.

Ædiles curules duo anno 386. vel ut ali 388.

Ædiles Cereales à Cæſare Dictatore.

Curatores omnium tribuum Romæ. *Varro lib.* 5. 1. *L.*

Vicorum Magiſtri. *Varro lib.* 5. *de lin. Lat.*

D Triumviri capitales. *Tacitus lib.* 5. *Annal.* qui & Treſviri vel Treviri capitales anno urbis 465.

Triumviri nocturni. *Livius lib.* 9. *Tacit. lib.* 5.

Triumviri valetudinis in nummo argenteo. M. Acilius III. vir valetud.

Triumviri monetales auro, argento, ære flando, videndo, *Pompon. lib.* 2. *de orig. juris.*

Quatuorviri viarum curandarum. *Pomponius.*

Decemviri litibus judicandis. *Pomponius.*

Centumviri litibus judic. *Feſtus Pompon.*

Præfecti ærarii ab Auguſto inſtituti. *Suet.*

Curatores operum publicorum ab Auguſto.

Curatores alvei Tiberis, & cloacarum ab Auguſto.

Curatores viarum ſingularum. *Plutarch. in Grac.*

Præfectus prætorio.

Præfectus frumenti populo dividundi ab Aug.

Curatores regionum *Suet.* ab Aug. E

Denuntiatores regionum.

Magiſtri vicorum urbis regionum 14.

Advocatus, vel Patronus fiſci à M. Antonio Philoſopho. *Capitol.*

MAGISTRATUS MINORES
Extra ordinem.

Duumviri perduellionis à Tullo hoſtilio Rege. *Livius.*

Quæſtores Parricidii Feſtus Pompon. Quæſt. Parricidii.

Quæſitores rerum capitalium, iidem. lex. 12. tab meminit.

Præfectus annonæ. *Livius lib.* 4.

Quinqueviri menſarii anno urbis 402. *Livius lib.* 7.

Triumviri menſarii. *Livius lib.* 13.

Duumviri Navales. *Livius lib.* 9. 10. 41.

Triumviri, qui conquirerent juvenes idoneos ad arma ferenda, militeſque facerent. *Livius lib.* 23.

Decemviri, qui judicant ſuper Sacramento, & libertate. *Cicero.*

Decemviri diſtribuendorum donativor. *Livius.*

Triumviri legendi Senatus. *Sueton. lib.* 1. *c.* 37. F

Triumviri recognoſcendorum equitum Rom. *Suet.*

MAGISTRATUS PROVINCIALES.

Proconſules, proconſulibus, ἀνθύπατοι. *Dio.*

Proprætores, proprætoribus. *Livius.*

Legati proconſulum. *Livius.*

Legati proprætorum. *Cicero.*

Quæſtores provinciales primùm duo, deinde ſex, & poſtremo à Sylla. *Tacit.*

Proquæſtores ſeu proquæſtoribus.

Præfectus Ægypti, qui & Auguſtalis ab Aug. *Suet.*

Præfecti præfecturam. *Feſt.*

Conſulares 4. qui per Italiam jus dicerent, ab Hadriano. *Spartia.*

Juridici Italia à Marco phil. *Capitol.*

III. Viri, IV. viri, V. viri, VII. viri, X. viri Coloniæ deducendæ. *Livius.*

V. Viri, VII. viri, XX. viri, agris dandis attribuendis. *Cicero.*

V. Viri, vel XV. agror. metiendor. dividendorumque. *Liv.*

III. Viri, vel V. viri. ad inſpiciendos fines, liteſque dirimend. *Livius lib.* 3.

* MAGISTRATUS, QUORUM OBSCURA
origo in vet. inſcript.

Procurator à rationibus. G

Præfectus
- Operum publicorum.
- Cæſaris.
- XX. Hæreditatum.
- Alimentorum.
- Frumenti.
- Vehiculorum.
- Curatorum annonæ.
- Tabulariorum publicorum.
- Muneris publici.

* DESCRIPTIO PROVINCIARUM
ab Auguſto, et Hadriano.

Anno urbis 727. Imperatore Cæſare Auguſto 7. & M. Agrippa III. Cos. Auguſtus Cæſar provincias, quæ pacatæ erant, & imbelles, militumque præſidiis non indigebant, populo tradidit, quas in XII. diœceſes deſcripſit, duas proconſulares, X. prętorias. Provincias verò firmiores, in quibus exercitus habendi eſſent, ut ſibi univerſum imperii robur attri- H buerit, Cæſaris provincias eſſe, & dici voluit, in quas legatos, proprætores, procuratores dignitate proprætoria miſit, qui equeſtri loco exercitibus præeſſent. Quos omnes communi vocabulo Rectores vocavit. Ægypto præfecit Auguſtalem. *Strabo lib.* 17. *Dio.* Provinciæ Cæſaris in XIV. diœceſes deſcriptæ. *Vide S. Rufum.*

Hadrianus Italiam in XVII. diœceſes deſcripſit, quarum aliis conſulares, aliis correctores, nonnullis præſides præpoſuit. In Hiſpania IV. Præſidiales fecit. In Galiis, Aquitania, & Britannia provincias XVIII. In Illyrico XVII. In Thracia provincia VI. In Africa VI. quarum provincia Africa, cujus metropolis Carthago, proconſularis eſt. Numidium, & Byſacium conſulares. Tripolitana, Mauritania Sifenſis, Maur. Cæſarienſis conſulares. Aſiæ deſcriptio ab Hadriano facta deſideratur. Ad ætatem Conſtantini magni prætoriani mili- A tes Romæ fuere in caſtris prætoriis, quæ à Conſtantino exciſa, & prætoriani milites, quia ſteterant à Maxentio, exauctorati ſunt.

* DESCRIPTIO MAGISTRATUUM, ET PROVINCIARUM A
Constantino Magno.

Priuſquam ad notitiam Imperii veniamus, in qua deſcriptio Magiſtratuum, & officiorum que ſub Theodoſio majore fuit, ut à Conſtantino paucis immutatis facta eſt, plenè continetur, Zozimi verba *lib.* 2. præmittemus. Conſtantinus, ait ille, conturbavit magiſtratus jam olim inſtitutos, τὰς πάλαι καθεσταμένας ἀρχάς. Nam cùm duo eſſent præfecti prætorio, qui hoc officium in commune juxta gerebant, non Palatini tantùm ordines eorum cura, & poteſtate regebantur, ſed etiam ii, quibus cuſtodia urbis commiſſa erat, & quotquot limitibus curabant. Hic enim præfectorum magiſtratus, qui ab Imperatore ſecundus habebatur, & annonas erogabat, & contra militarem diſciplinam admiſſa pro delicto vindicabat. Conſtantinus autem rectè B conſtituta loco movens, unum hunc magiſtratum in quatuor decerpſit. Nam præfecto prætorii Orientis totam Ægyptum cum Libiæ pentapoli, & Orientem ad Meſopotamiam uſque, & præterea Cilices Cappadoces, Armenios, oramque maritimam totam à Phamphilia Trapezuntem uſque, & caſtella propter Phaſidem ficta permiſit. Eidem & Thracia tradita, & Myſia, & Hæmi, ac Rhodopes, & Toperi oppidi finibus circumſcripta, præterea Cyprum adjecit, & Cycladas Inſulas, Lemno, & Imbro, & Samothracia exceptis. Præfecto prætorii Illyrici attribuit Theſſalos, Cretenſes, Græciam, & circum aſſitas inſulas. Epyrum utramque, Illyrios, Dacas, Triballos, Pannonios Valeriam uſque, Myſiam ſuperiorem. Præfecto Præt. Italiæ totam Italiam, Siciliam, & circum aſſitas inſulas, Sardiniam, Corſicam, Africam à Syrtibus, Cyrenen uſque. Præfecto præt. Galliarum Tranſalpinos, Celtas & Hiſpanos, cum inſula Britannia.

Ita diviſo præfectorum pr. magiſtratu, aliis quoque modis eorum poteſtatem imminuit. Nam cùm præeſſent ubique militibus, non modò centuriones, & tribuni, verum & duces (ſic enim dicti, qui quolibet in loco prætoC rum vicem obtinebant) magiſtros militum inſtituit alterum equitum, peditum alterum, & in hos tranſlata poteſtate militum ordinandorum, & coercendi delinquentes, hac etiam in parte præfectorum auctoritati detraxit. Id verò tam pace quàm bello detrimentum rebus attulit. Cùm enim præfecti prætorio ubique terrarum tributa per apparitores ſuos exigerent, & militarem ex iis ſumptum facerent, iidemque milites dicto audientes haberent, in ſuſtinendis ob delicta pœnis, prout præfectis prætorio videretur, non ab re milites cum animis ſuis cogitantes, eum, qui annonam, & ſtipendia præberet, delinquentes etiam punire, nihil agere præter officium audebant, partim annonarum ademptionem, partim præſentem coercitionem veriti. Nunc cùm alius ſtipendium exhibeat, alius milites coerceat, omnia licentius agunt, cùm interim non minima annonæ pars, Ducis, & apparitorum lucro cedat. Aliud & à Conſtantino factum eſt, quod barbaris aditum in ditionem pop. Romani aperuit: Nam cùm Imperium Rom. in limitibus ubique à Diocletiano oppidis, caſtellis, & burgis incluſum eſſet D (ἐσχατιάς vocat) omneſque limitanei milites in iis agerent, barbaris aditus intercluſus erat. Quæ munimenta, & præſidia Conſtantinus ſuſtulit, novamque Romæ veteri æmulam Byzantii exſtruxit, diviſoque ſenatu, cùm univerſo orbi civitas Romana jam olim ab Antonino Caracalla (immò ab Antonino Pio data eſſet) ſenatores omnes ex Occidentalis imperii provinciis lectos Romæ morari voluit, ex Orientalis verò Conſtantinopoli. Conſulum item alterum Romę, alterum Conſtantinopoli deſignari voluit, Demum eò res deducta eſt, ut Romæ duo, Conſtantinopoli totidem Coſſ. crearentur. Urbi deinde Conſtantinopoli præfectum alterum, Romæ alterum inſtituit, & omnia privilegia, dignitates, quibus Roma ornata pridem erat cum civitate Conſtantinopoli communicavit. Cæterùm cùm duos in occidente præfectos prętorio inſtituiſſet, pręfectum pręt. Italię, & pręf. prętorio Galliarum, totidem in Oriente, pręfectum pręt. Illyrici, & prętect. pręt. Orientis, ſub eorum poteſtate magiſtratus omnes Rom. eſſe voluit, quorum deſcriptionem è Notitia Imperii Romani pete, niſi fortè his, quę hoc loco ſubiiciam, contentus eſſe potes. E

*MAGISTRATUUM, ET PROVINCIARUM IMPERII OCCIDENTALIS
Deſcriptio Poſt
Conſtantinum Magnum.

Imperator Cæſar Auguſtus.

Conſul Occidentalis.

Præfectus prætor. Italiæ vir illuſtris, ſub cujus diſpoſitione Italia, Illyricum, Africa.

Præfectus annonæ Africæ, & præfectus fundorum patrimonialium, qui Gildonis patrimonium procurabat.

Miniſtri magiſtratuum libera Rep. fuere, ſcribæ, accenſi, præcones, lictores, viatores, carnifices, diribitores, rogatores, cuſtodes, nomenclatores, diviſores, qui magiſtri curiarum dicuntur à Plauto. Apparitores, interpretes. Diribitores ſingulis tribubus tot dabant tabellas, quot erant candidati comitiis, quorum rationem haberi oportere judicatum eſſet. Rogatores ante legem tabellariam rogabant ſententias, poſt legem tabellariam ciſtam proponebant mittendis tabellis. Cuſtodes tot F puncta notabant, quot cuique candidato tabellæ obtigiſſent.

Officium viri illuſtris præfecti prætorio Italiæ, adjutor commentarienſis, ab actis, numerarii, ſubadjuvæ, cura epiſtolarum, Referendarius, exceptores, adjutores ſingularii.

Præfectus prætorio Galliarum ſub quo Hiſpaniæ VII. Provinciæ Galliarum XVII. Provinciæ Britanniarum V.

Officium præfecti præt. Gall. idem fuit quod præfecti præt. Ital.

Sub præfectis prætorio fuere proconſules, vicarii conſulares, correctores, præſides.

Quintus Occidentis magiſtratus fuit vir illuſtris præfectus urbis Romæ, ſub cujus diſpoſitione fuere, præfectus annonæ, præfectus vigilum, comes formarum, comes riparum, & alvei Tiberis, & cloacarum, comes portus, magiſter cenſus, rationalis vinorum, tribunus fori ſuarii, conſularis aquarum, curator operum maximorum, curator operum publicorum; curator ſtatuarum, curator horreorum Galbianorum, centenarius portus, tribunus rerum intentium. G

Officium ejus penè idem fuit cum officio præfecti prætorio. Pro numerario ponitur primiſcrinius, ſive numerarius. Deinde tres ſubjunguntur, qui in officio præfecti prætorio non ſunt, cenſuales, nomenclatores, ſingularii.

Sextus magiſter peditum in præſenti vir illuſtris, ſub cujus diſpoſitione fuere ſex comites rei militaris, duces limitum X. Regiones Palatinæ XII. auxilia Palatina LXV. legiones. Comitatenſes XXXII. Pſeudocomitatenſes XVIII. omnes claſſes, Veneta, Ravennas, Comenſis, Miſenas, Viennenſis, Bracaria, Maſſilienſis, Ararica, Anderetiana cum earum prę̨fectis, tribuni omnes cohortium, & militum præfecti per occidentem.

Officium ejus princeps numerarius, commentarienſis, adjutor, regerendarius, exceptores, & reliqui apparitores.

Septimus vir ill. Comes, & magiſter equitum præſentialis; ſub cujus diſpoſitione vexillationes palatinæ IX. vexillationes Comitatenſes XXXII.

Officium ejus idem cum magiſtro peditum præſentiali. Additus eſt primiſcrinius alius à numerario. H

Octavus vir illuſt. magiſter equitum Galliarum, cujus officium, princeps ex officiis magiſtrorum militum, præſentialium uno anno à parte peditum, altero à parte equitum.

Officium ejus commentarienſis, numerarii ex viris, & officiis ſingulares, adjutor regerendarius, exceptores, & reliqui apparitores.

Nonus vir illi præpoſitus ſacri cubiculi, ſub quo primicerius, cui parebant Decani. Item Comes Caſtrenſis, qui menſam, & palatium curabat, ſub quo primicerius menſarum, Primicer. Cellariorum, Primicer. pædagogiorum, Primicer. lampadariorum, quorum alii erant primæ formæ, ſecundæ formæ, tertiæ formæ. Sub præpoſito ſacri cubiculi ſunt, & tres decuriones XXX. ſilentiariorum, chartularii ſacri cubiculi tres ſcribebant, comes domorum.

Officium tanquam magiſtratus habebat; cujus princeps